

J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK

ORATIO

DE

DEBITA CURA INFIAUSTAM MANIACORUM  
SORTEM EMENDANDI EOSQUE SA-  
NANDI, IN NOSTRA PATRIA NIMIS  
NEGLECTA.

HABITA

DIE XVI M. MARTII A. MDCCCXXXVII.  
CUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS  
SOLENNI RITU PONERET.



TRAJECTI AD RIENUM,  
APUD JOH. ALTHEER,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.  
MDCCCXXXVII.

1930-1931  
1931-1932  
1932-1933

1933-1934  
1934-1935  
1935-1936

1936-1937  
1937-1938  
1938-1939

1939-1940  
1940-1941  
1941-1942

1942-1943  
1943-1944  
1944-1945

1945-1946  
1946-1947  
1947-1948

1948-1949  
1949-1950  
1950-1951

1951-1952  
1952-1953  
1953-1954

1954-1955  
1955-1956  
1956-1957

1957-1958  
1958-1959  
1959-1960

1960-1961  
1961-1962  
1962-1963

1963-1964  
1964-1965  
1965-1966

1966-1967  
1967-1968  
1968-1969

1969-1970  
1970-1971  
1971-1972

# ORATIO.

---

ACADEMIAE RHENO-THAJECTINAE CURATORES , VIRI  
AMPLISSIMI ! ET QUI HIS AB ACTIS ES , VIR CONSUL-  
TISSIME !

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES , VIRI  
CLARISSIMI , COLLEGAE CONJUNCTISSIMI ! LECTORES  
DOCTISSIMI !

QUOTQUOT PRAESENTIA VESTRA HANC SOLEMNITATEM  
CONDICORATIS , VIRI PUBLICA AUCTORITATE , DOCTRINAE  
LAUDE , MUNERUMQUE DIGNITATE CONSPICUI !

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES DOCTISSIMI ,  
REVERENDI .

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES CONSULTISSIMI ,  
EXPERIENTISSIMI , ACUTISSIMI !

#### 4 J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK

ORNATISSIMI JUVENES ACADEMICI, PATRIAE SPES ET  
EXSPECTATIO!

CIVES DENIQUE ET HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO  
HONORANDI!

Inter diversas facultates, mentisque egregias dotes, quibus Homo prae animalibus eminet, intellectum atque rationem omnium longe esse praestantissimas, nosque veram vivere vitam, quantum hujus Divinae particulae usu gaudemus, quis est, qui neget? quis in facultatis, ex qua verus humanitatis et virtutis sensus exoritur, cultu et imperio non omninem vitae felicitatem ponat? Tanta autem omnium rerum humanarum est levitas et singularis inconstantia, ut etiam ipse hujus intellectus et rationis nostrae usus non omni fato sit superior, non ab omni labe morbisque semper immunis, neque certa et continua dici possit ejus possessio.

Haec si vera sunt, uti sunt verissima, quaenam inter gravissimas calamitates, qui-

bus homines interdum sine sua culpa afflignuntur , magis commiseranda esse videatur , quam harum facultatum jactura , quam vere *mentis alienationem* dicimus. His enim facultatibus amissis aut laesis cedit mens , praeclara illa et certa dux vitae , atque Homo , summum Terrae ornamentum , ab illo culmine dejectus et prostratus in majora delabitur mala , quam quae unquam animalibus accidere possint ; a quibus malis neque divitiae , neque corporis robur , neque ipsum ingenii acumen , neque etiam probitas morumque candor hominem defendere possunt.

Quum igitur mihi , Rectoris Magnifici munus successori tradituro , provinciâ oblata sit , ut coram nobilissimo virorum eruditissimorum conventu verba faciam , tale argumentum Orationis mihi selegi , quod , a meis studiis minus alienum , tum rei gravitate et momento , tum utilitate quadam sese commendare , vestraque attentione non indignum mihi visum est. Dicam ergo : *de debita cura infaustam Maniacorum sortem emendandi eosque sanandi , in nostra Patria nimis neglecta.* Quod cum ago , ut faciles benevolasque

## 6 J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK

mihi aures praebeatis, quam humanissime  
rogo.

---

Nullam generis humani cladem ipsa mentis alienatione esse magis formidandam, nulloque morbo ipsum adeo *hominem* corripi, quis est, qui non assentiatur, etiamsi obliter tantum miseros illos hoc morbo laborantes contemplatus fuerit. Adspicite homines rationis moderamine privatos, tanquam naves sine gubernaculo aestuosi maris fluctibus jactatos; quorum alius effrenatis animi perturbationibus agitatus in vehementissimos motus erumpit, aut laetitia gestiente et inani effuse exultat, aut ira et furore levissima de causa in commotiones insolentius effertur; alius vero aegritudine contrahitur, et angore gravissimo atque ineluctabili moerore exanimatus misere deprimitur, quin etiam ad desperationem adactus ad ipsum vitae taedium ducitur manusque sibi adserre violentas (quod vel nulli unquam animali contingit) inque suum ipsius pectus sacvire cogitur; tum de-

nique uterque ad imbecillitatem depresso ni-  
hil nisi hominis formam sibi conservavit.

Quid mirum Veteres , quum abnormes adeo  
et horrendas animi perturbationes , sine ulla  
causa manifesta in insanis atque furiosis sae-  
pe concitatas , animadvertisserent , credidisse , tam  
gravia mala , quae tanto impetu effervesce-  
rent , non e naturalibus causis posse redunda-  
dere , verum hosce insanos malis agitari et  
instigari Daemonibus : quod et antiquissimi  
Populi , multaeque gentes incultae recentioris  
temporis palam professae sunt et prospiten-  
tur (1).

Ast vero in Graecia , ubi omnium fere re-  
periuntur disciplinarum incunabila , veritatis  
luce accensa , summi Philosophi , in primis  
Socrates et Plato , maguam esse corpo-  
ris vim in animi perturbationibus excitandis  
jam suspicati sunt (2) ; quod tamen plenius  
perspexerunt atque probarunt Medici Naturae  
Observatores fidelissimi , uti Hippocra-  
tes , qui ullam esse vim Daemonum nega-  
vit , hosque morbos e naturalibus causis ex-  
plicuit (3) , et postea Asclepiades , Cel-  
sus (4) , Coelius Aurelianus aliquie ,  
qui eos curandi rationem , his Naturae con-

temptationibus fundatam, tam egregiam proposuerunt, ut de sententia nonnullorum Scriptorum recentiorum, qui de morbis mentalibus investigandis et curandis bene meruerunt, vix nostra aetate his antiquorum praeceptis aliquid addi potuerit (5).

Quantos sane progressus Medicina fecisset, si horum virorum vestigia insequentibus seculis secuti fuissent Medici! Summe igitur dolendum, barbarie et inscitia medii aevi omni vera disciplina sutilibus disputationibus misere corrupta, obruta et plane exstincta, veram hanc viam reliquisse Medicos, ita ut cum tota Medicina etiam haec pars gravissima evanuerit prorsus. Revocata enim est haec de Daemonibus sententia, ornata etiam et commixta Theosophiae Orientalium, Zoroastri et Pythagorae placitis, atque scholae Alexandrinae somniis adeo, ut in doctrinam emanationis et Kabballam abierit, quae mundum Angelis et Daemonibus repleret, omnia autem bona et mala ex hisce derivaret (6).

His factum est, ut insaniam aut Daemonum vi adserri et incutiri, aut poenam a Deo esse missam, nulla vi nisi exorcismo, vel Sacerdo-

tum (aut, uti tunc vocabantur, Precatorum (7)) precibus avertendam crediderint; — Tanta autem fuit horum Doctorum dementia, atque fatuitas singularis, ut ex hisce insanis alios flammis (8) traderent, alios autem sanctis adnumerarent (9).

Renatis literis hic et illic nonnulli Medici paullo accuratius hos morbos investigare, atque in ipsis medicinam experiri coeperunt; quae tamen vix a Theosophia et Magicis segmentis liberata, nimis adhuc Galeni placitis premebatur, ut non nisi pedetentim excoli, atque innumeros errores exuere potuerit; quare hujus disciplinae atque humanitatis progressus primum non multum Maniacis profuit. Nam si furore et ira agitati aliis periculum afferrent, vi repressi cum furibus et sceleratis in carceribus includebantur, vix unquam inde reddituri; si autem mites eorum essent mores, publico ludibrio exponebantur, tristissima humanae miseriae exempla proferentes.

Tanta immanitate Maniaci ferarum instar etiam seculo 17 et 18 vexabantur, quid? nostris etiam temporibus hujus inhumanae medii aevi barbariei vestigia nimis abunde prostant et diuturna permanent.

Ipsâ tamen Medicinâ atque Psychologiâ magis magisque exultis, clarus patuit, Maniam esse morbum humanitate et apta medicina saepe sanabilem, quod plures prioris seculi Medici in primis Angli, uti Arnold, Chrichton, Willis, Perfect (10) aliique egregiis suis investigationibus et praeceptis abunde probarunt. — Ast vero horum virorum experientia magis paucis illis Maniacis, qui ipsorum curac erant commissi, quam reliquis iisque longe plurimis vere profuit. Nosocomia, quae mente alienatis priore seculo adhibebantur, adinodium rara erant, atque vix hoc nomine digna; longe plurimis enim locis Maniaci carceribus et cavernis angustis obscuris, saepe foetidissimis putidisque inclusi, neque luce solari, neque aëre salubri, neque motu corporis, quae ad sanationem utilia, quin necessaria sunt, frui poterant; quid, non pauci famulorum impudentiae et crudelitati, vulgique curiositati expositi, tanquam monstra horrenda e societate humana depulsa, sine ullius Medici periti auxilio, sine humani et consolantis amici alloquio, catenis fame verberibusque cruciabantur.

Tandem vero, ineunte seculo nostro in Gal-

lia egregius Pinel immortalem sibi gloriam conparavit, qui primus horum carceres aperuit, catenas atque vincula diffregit, atque humanitatem et benevolentiam in illorum habitacula induxit, idque ita egregie perfecit, ut frugiferà hac et benevolâ curâ non paucos ad sanitatem restitueret sibique suisque redderet. — Egregia sane laus! Praeclaram enim humanitas atque disciplina de barbarie reportavit victoriam.

Tanto exemplo excitati in primis Galliac Angliae et Germaniae Medici ejus vestigia sequi instituerunt, crudelibusque et nefandis illis vexationibus strenue sese opposuerunt; quin etiam Reges atque Imperatores illorum monitis obsequentes, loco carcerum Nosocomia promente alienatis condiderunt, atque apta illa, nitida, ampla, spatiosis hortis ad aërem salubrem hauriendum, corporisque motus instituendos ornata, omnibusque auxiliis et commodis instructa, quibus animis depresso ad gratum Naturae spectaculum gustandum, vel ad labores allici possit, idoneisque insuper et necessariis adminicalis praedita, quibus suribundi minus violenter constringerentur, quam solummodo impeditarentur, ne sibi aliis-

que nocerent, ita ut, si plura hujus generis instituta inspexeris, potius in villa quadam magnifica et amoena, quam in Nosocomio mente alienatorum te obambulare crederes.

Talibus egregiis humanitatis documentis Gallia, Anglia, Italia atque Germania gloriari nostro tempore possunt, quibus non modo Maniacorum sors in illis regionibus mirum quantum emendata est, sed etiam Medicis occasio oblata, difficillimos hos morbos accuratius explorandi eorumque causas absconditas investigandi, quibus sibi viam ad curam eorum morborum rationalem sternere coeperunt. Dolendum enim, plures scriptores fuisse quidem disputare de psychologicis quaestionibus, inque spinas partiendi et dividendi diversas species sese inmittere, quod autem summum est, curam rationalem fere penitus negligere, aut levi tantum penicillo tangere, vel rudi Empyria seductos plura inter se contraria remedia commendare solent.

Si vero iam ad Patriam oculos adverto, nescio, utrum me gravius moerore cominovere, an pudore suffundi sentiam.

In Patria enim, ubi nulla scientiae humanae pars neglecta, in qua tot asyla atque

humanitatis et benevolentiae testimonia, illaque splendida et egregia inveniuntur, exte-  
risque exemplo esse possunt, haec cura gra-  
vissima maximeque necessaria atque verae  
humanitatis pars, prorsus neglecta, atque  
fere nulla est.

Licet enim Boerhavius, lumen illud Eu-  
ropae, non modo Patriae, ad hos morbos  
curandos utilissima dederit praecepta, quae  
virum magnum et humanum indicant, tamen  
a Galeni placitis de bile atra nondum satis  
se liberare potuit (11). Gaubius vero in  
priore *de Regimine mentis, quod Medicorum est*, Oratione, tantâ eloquentiâ tanto-  
que sententiarum pondere vim, quam habet  
corpus in mentem, atque efficacitatem Me-  
dicinae ad corrigendam mentis aegritudinem  
probavit, atque illustravit, Medicosque ad  
hanc difficillimam Medicinae partem diligen-  
tius excolendam ita adhortatus est, ut sum-  
mopere mirer, egregia ejus monita nostrates  
adeo neglexisse, exteris autem prorsus igno-  
rasse fere.

Qualis vero antea Maniacorum conditio in  
nostra Patria fuerit, patet ex his Swiete-  
nii verbis, quibus narrat, quendam apud Ba-

tavos fuisse, certa quadam insanientium cura celebrem, virum, quippe qui hos miseros, simulac delirarent, tractabat ferarum instar verberibus, catenis, perfusionibus aquae frigidae, fame et siti (12).

Verum id magna ex parte ipsi Patriae commune fuit cum aliis regionibus; quod vero maxime doleimus, hoc ipso tempore, quo in plerisque Europae regionibus cura medica Maniacorum eximie emendata fuit, in Patria nostra exiguos modo fecit progressus.

Licet enim hic et illic Asyla privata extent, quibus Maniaci servantur, et humaniter tractantur, tamen plerumque curae hominis privati, artis medicae prorsus imperiti, sunt commissi, quorum tamen morbi difficillimam Medicinae partem constituunt. Ast vero aliis in locis iisque plurimis non melius, quam Swietenii tempore cavernis carceribusque angustis secluduntur, aut cum captivis furibusque commixti vitam miserrimam ducunt, e quibus, si quis sanus redeat, vix unquam antem restituuntur sanitati, fortissimum documentum praebet, quanta obstacula ipso morbo majora Natura interduin superare posse. — Hisce carcerum et cavernarum posti-

bus eadem vere insculpi possint vocabula,  
quae apud inferos sedis Damnatorum posti-  
bus insculpsit D a n t e ,

*Mittite omnem spem vos, qui intratis.*

Hac miserrima rerum conditione commotum celeberrimum Collegium Medicum, quod Amstelodami est, ante aliquot annos quaestione in proposuit, atque deinde respcionem, quam acceperat a Viro Doctissimo Guislain, praemio ornatam in lucem edidit, quae Commentatio Gallico sermone conscripta, eaque prima, quae hac de re in Patria nostra edita est, quamquam plura bona atque utilia praecepta continet, tamen parum profuit (13); — Nosocomium enim, quod proposuit Vir Doctissimus, minus aptum est propter amplitudinem aedificii et numerum aegrotorum, maioresque requiruntur sumtus, quam ut extrui potuerit.

. Quare summopere gadeo, id mihi contigisse, quod diu in votis habueram, ut in Patria etiam nostra Nosocomium viderem, quod ad sanandos mente aegrotos aptum esset, atque cum iis, quae apud exteris sunt, comparari posset. In nostra Urbe primum id constructum est, vel potius pessimus Car-

cer mutatus fuit in ejusmodi Nosocomium salutare; Aedificium amplius redditum est, additi sunt horti, atque, quod efficit humana agendi ratio, furor Maniacorum raro erumpit, atque ita sedatus est, ut ipse Princeps Arausiacus Fredericus, qui, cum Festis secularibus nostrae Academiae interesset, atque etiam hoc Nosocomium visitasset, in primis hunc omnium sedatum animum et tranquillitatem admiratus fuerit (14).

Ergo est profecto, quod gaudeamus, atque quod gaudeant omnes, qui ex praeceptis sanctae nostrae religionis caritate hominum tenentur. Sed majus quid est, quod gaudeamus; nam Divinae Providentiae auxilio factum est, ut e Nosocomio nostro his tribus postremis annis sexaginta exierint sanati, divinis rationis dotibus iterum gaudentes, civitati, suis, sibique redditi.

Est omnino, quod gaudeamus; ad vos enim sermo meus conversus est, viri honoratissimi, amicissimi, qui mecum huic Nosocomio praeestis, socii laborum meorum, socii gaudii mei. — Nullam aliam mercedem laborum nostrorum quaesivimus, nisi hoc gaudium, hoc Divinum auxilium, atque con-

scientiam recte factorum. — Ita pergit, Viri acustumatisimi, indefesso ardore; ita pergit Deus vestris annuere votis. — Qui caritate hominum ductus, leniendis et tollendis ipsorum calamitatibus, quantum vires id concedunt, vitam impendit, is, peracto curriculo vitae, non frustra vixit: in officio manxit: Dei misericordis praeceptis obedivit.

Gratissimo autem animo nos omnes, quibus hujus Nosocomii cura demandata est, agnoscimus et liberalitatem, et auxilium, quod nobis praestiterunt hujus Urbis Magistratus nobilissimi, eorumque Praeses aestuñatissimus. Non verbis Vos, sed factis, humanitatem vestram ostendistis; idque palam profiteri, uti juvat, ita officii mei duco. — Nęquę etiam reticenda est benevolentia et auxilium, quod antea accepimus ab hujus Provinciae Ordinibus, Viris amplissimis, spectatissimis. Lubentissime etiam commemoramus donum laudum, quod nobis quotannis mittitur ab incognito quodam viro laudando, humanitate ad id commoto.

Veruntamen hujus Urbis Nosocomium minime sufficit omnibus Maniacis in nostra Patria curandis (15); quare longe maxima co-

quam pars cura medica necessaria carent, al-  
que aut in habitaculis pessime instructis, fa-  
mularum incuriae et inhumanitati commissi  
sunt, aut si major diligentia, humanitas et  
cura ipsis adhibentur, tamen carent illa cu-  
ra medica, quae ad sanationem necessaria  
est.

An ergo humanitas et benevolentia erga-  
miseros, parcus in nostra Patria colantur,  
quam apud exterros? Quae contumelia po-  
test esse injustior, odio digna majore? Immo  
vero magnam sibi Patria praec. aliis regionibus  
exultis gloriani comparavit, in quam, si ve-  
lim, Oratio mea efflorescere possit. Ubique  
enim publica humanitatis testimonia exstant.  
Quanta enim et quam diversa cura adhibetur  
pauperibus, qui necessaria vitae subsidia sine  
aliorum auxilio sibi acquirere nequeunt, aut  
quos propter malam valetudinem vel senectu-  
tem vires deficiunt. — *Societas* illa, quae jure a  
*benignitate* nomen accepit, atque *praecclarum*  
prodit documentum, quantum efficere possit  
hominum caritas, si cum prudentia et consilio  
est conjuncta, pauperes mittit ad colendos  
agros, aut ad alios labores honestos perficien-  
dos, ita ut non solum sibi comparent, quae ad

victum et commoda vitae sunt necessaria; verum etiam meliores et utiliores reddantur societati. Quot asyla aperta sunt aegrotis! quot senibus! Quanta diligentia et caritate accipiuntur et tractantur, qui parentibus sunt orbati, coeci, surdo-muti, aliquique variis cladibus affecti! Id ubivis spectatur in primis, ut honesta sit ipsorum educatio, ut probi fiant cives, eaque discant, quibus sibi aliisque prodesse possint. — Quae si contemplainur, mirum nobis videatur necesse est, tot esse in nostra Patria erga alios miseros, qui nostro auxilio indigent, benignitatis et liberalitatis indicia, sed fere nulla erga eos, qui mente sunt alienati. Minusne igitur commiseranda est eorum sors, quam reliquorum? Immo vero multo etiam magis. Miser sit pauper, miser parentibus, visu, auditu orbatus, miser senex fractis viribus; sed quaeso! cuius miseria cum eorum miseria comparari potest, qui rationis luce sunt orbati, quorum conditio inferior esse videtur, quam animalium. Quo major autem est miseria, praeceps eorum; qui in ea perferenda culpâ carent, eo major commiseratio esse debet, eoque magis est in nostro officio,

ut, quantum possimus, intendamus vires, ut ista tollatur aut leniatur conditio.

Cur igitur, in quem maxime cura adhibenda sit, is minori aut nulla fruitur? — Quid? nulla adhibetur cura? — immo vero maxima cura; in nonnullis locis custodiuntur, servantur. Cur autem? ne aliis malum afferant, — non ut ipsis bonum aliquod affera-  
tur, non ut sanitati restituantur, non ut ipsi gaudeant, atque honesta voluptate fruantur. — Saepe sors Maniacorum minus foret deplo-  
randa, si talis cura et custodia nulla exstitis-  
set, quoniam ejusmodi vere est, ut ipsum  
animi morbum insanabilem reddat.

Nostro tempore Viri aestimatisimi, sensu humano compulsi, societatem sub Regis auspi-  
ciis injerunt, eo consilio, ut surum aliorum-  
que hominum, propter commissum crimen in  
carcerem conjectorum, corrigendo mores  
sortem lenirent atque emendarent. Quod  
consilium quis est, qui non laudet; quis est,  
qui non gaudeat, si haec institutio eos fert  
fructus, ut ex his captivis plurimi, emendatis  
temperatisque moribus, inter bonos Civiles de-  
novo recipi possint, ita ut probitate, honestis  
et utilibus actionibus crimen, contra leges at-

que societatem humanam perpetratum, extinguiatur. An vero ullam videmus societatem, quae, Maniacorum libere curani, nulla proposita mercede, in se suscepit? An magis de ipsorum restituenda sanitate, quam de sceleratiorum captivorum emendatione desperandum est? Nullo crimen, nullo flagitio sunt contaminati. Cur igitur lugent, moerent? cur nullo auxilio, nullo levamine, nulla sortis miserrimae emendatione digni habentur? — Cur eo usque procedit crudelitas atque iniquitia, ut nonnumquam cum sceleratis hominibus, poena dignis, in iisdem carceribus et cavernis includantur, atque ludibrio et vexationi malignorum hominum committantur. — Atque haec fiunt in populis, moribus mansuetis, exultis, in populis Christianis! Quis animo est tani agresti et duro, cuius haec videntis atque contemplantis non moveatur pietas erga hos miseros, auxilio et benignitate, non poena dignos; non moveatur summa indignatio in eos, qui haec perpetrant, qui haec permittunt, risu et hilaritate quadam hanc vexationem et inhumanitatem conspi- ciunt.

Monent ad unum fere omnes, Maniacos,

inprimis qui ad furorem procliviores sunt, maximum dampnum et periculum et sibi et aliis afferre posse, si libere in societate hominum versentur, atque igitur prudenter cum ipsis agi, si secludantur. Recte monent modo ne isti miseri ejusmodi habitaculis includantur, atque tam indigne cum iis agatur; — modo pateant ipsis domicilia, ipsorum miseriae lenienda aptissima, necessariis auxiliis instructa, in quibus non modo benignae et prudenter tractantur, verum etiam illas reperiunt medelas, quae maxime inservire possunt, ut a gravissimo morbo liberentur, atque societati suisque sanati reddantur. Haec jubet humanus, si quis est, sensus; caritas, si qua est hominum; haec jubet Religio Christiana, quae amorem et caritatem primam virtutem, inhumanitatem et crudelitatem sumnam perversitatem animi ponit.

Num quis nostrum, queso! non scelestum dixerit, non ut pestem aliquam fugerit atque abhoruerit eum hominem, qui ita omnem humanitatis sensum exuerit, ut in patrem, fratrem, filium, in alium consanguinitate coniunctum, aut in amicum infelicissimum, gra-

vissimo animi luctu et moerore depresso;  
atque de omni salute desperantem, tam im-  
probe consuluerit, aut non modo oīone sola-  
men et auxilium ip̄si negaret, verum etiam  
ne sibi molestias crearet, in carcere ipsum  
includeret! — Veruntamen sunt et fuerunt Mel-  
ancholici, iique non pauci, quibus haec conti-  
git miseria. Morbus enim animū et rationē  
ipsam deprimit, atque ad desperationē salu-  
tis eos adducit; quae commiseranda sors acer-  
bitate etiam hominum ingravescit, atque, quod  
majus est, perpetua redditur, donec misericor-  
dia Dei et isti miseriae et iniurianti hominum  
morte eripiuntur. — Nam quod ad animi  
moerorem et cruciatum, fictum malum, cūjus  
cogitatione mens afficitur, non minus grave  
est, quam verum malum, imo yero gravius  
esse solet, quoniam plerumque quidem acci-  
dit, ut ad id levandum, neque amicorum  
colloquium, neque ipsa Religionis placida  
monita quidquam valeant, atque una salus  
petenda sit a prudenti cura atque medela Me-  
dici, quibus tamen plerique Melancholici et  
Maniaci carent. Quo autem diutius iste mor-  
bus animū affigit, neq̄ magis redditur insa-  
nabilis.

Universæ haec dici potuerunt de tristissima  
sorte multorum Melancholicorum atque Ma-  
niacorum, incuria atque iniq[ue]itate hominum,  
graviori et insanabili redditu. — Utinam  
earum injuriarum, quas verbo attigi, solis  
in regionibus externis, non in nostra pa-  
tria exempla reperirentur. Quod cum ita  
non sit, atque hominum caritas hac in re  
in nostra Patria nequaquam perspecta fuerit,  
veritas, atque hi miseri ipsi, qui Patriae,  
qui civium auxilium atque defensionem im-  
plorant, atque huc usque frustra implora-  
runt, omnem hominem, qui vere hoc nomi-  
ne dignus est, religiose jubent, quae ipse  
oenlis suis viderit, aut de quibus aliorum tes-  
timoniis certior factus fuerit, ea palam, ubi  
id utile est, proferi. Nefas foret velami-  
ne haec obtegere, ita ut hoc malum sine ob-  
staculo libere serpat, Patriaque dedecus af-  
ferre non desinat. — Nimis parvus est nume-  
rus eorum, qui horum miserorum queribun-  
das voces audiant, auditis fidem tribuant,  
auxilium et levamen afferre conentur. Eben!  
nomen ipsum Maniaci sufficit, ut non nisi igno-  
mnia, contumelia; sicutaque querelæ ab ipso  
exspectentur. Primum igitur auxilium, quod

multi ipsis afferre possunt, est, patescere injurias, quibus afficiuntur. — Profecto non ita extinctus est in nostris civibus sensus humanus, ut his auditis atque creditis non oriatur ea commiseratio, quae ubi id fieri potest, actionibus salutaribus se prodit.

Evidem gáudeo, nonnullis Patriae locis meliorem redditam fuisse Maniacorum conditionem, humane cum ipsis agi, inserviri ipsorum commodis, aptiora esse habitacula et aedificia, in quibus custodiuntur. Veruntamen, quod maximum est, cura medica atque regimine necessario carent, qua sanatio effici possit.

At vero quænam est atque fuit ipsorum conditio aliis in locis Patriae!

Jam verbo attigi vexationes, ludibria agrestium hominum, quibus sunt commissi, verbera, quibus accipiuntur, vincula, quibus cruciantur, caveas et careeres, quibus includuntur, atque nonnunquam cum furibus et sceleratis hominibus. — Cognita mihi sunt in talibus habitationibus, ubi præterea uterque sexus inter se commixtus erat inclusus; stuprata Maniacis commissa. — Meis oculis vidi Maniacos caveis, ad quas nulla lux solaris, nul-

lus aër saluber penetrare possent, per quinquaginta annos jam inclusos. Vidi Maniacam, cuius articuli, diuturnis atque arctioribus vinculis constricti, immobiles redditи erant, atque concreverant. — Mente sanata, sed corpore fere immobilis deplorandam suam sortem acriter lugebat. Quis haec videns, temperet a lacrymis!

Verum haec sufficient. Satis superque enim ex iis, quae dixi, appareat, quantum justitiae et hominum caritati repugnant tum illae injuriae, quibus hi miseri affecti fuerunt, atque etiamnum multis in locis nostrae Patriae afficiuntur, tum illa incuria et negligētia aliorum, qui ipsis salutare afferre possunt auxilium; quantum haec ipsa caritas et justitia unumquemque admoneant, immo vero severe praescribant, ut hanc tristissimam sortem, ubi ipsi detur facultas et occasio, permutet, leniat, emendet, atque ita avertatur a Patria ipsa dedecus, quo contaminabitur, si non cessat ista inertia, si istae injuriae, proposita impunitate, continenter pergunt; qua ipsa impunitate atque inertia jam effectum est, ut haec vexatio atque barbara feritas, qua torquentur in-

sontes, non criminibus adnumerentur, quod niam leges huic rei se admodum faciles et placabiles praebent, aut der ea prorsus silent. Leges silent! At sileant leges ab hominibus constitutae, non silent leges Dei sanctissimi, leges Patris omnium, ultoris injuriarum, vindicis misericordum insontium.

At vero leges Patriae non silent de Maniacis. Prudenter enim provisum est, ut publica auctoritate secludantur, si quod est periculum, ne aliis sibique noceant; cautum est, ne quis ita secludatur, qui non sit Maniacus. Sed silent hæc leges de cura in salutem ipsorum adhibenda, de defensione eorum contra multorum injurias, permittunt, ut seclusi, ignaviae et segnitiei traditi, obstupescant penitus.

Pupillis, qui neque sua bona administrare, neque suam vitam regere possunt, leges Patriæ maximo jure prospiciunt, eosque in publica tutela collocant. Quare omnibus modis carent, ne istis bonis fraudulentur, carent, ut schoolæ ipsis pateant, in quibus doceantur, insti-tuantur, ut aequi et bonique cives reddantur. Num vero Maniaci publica tutela minus indigent, aut quae causa est, cur ab hac tutela

sint seclusi? Quodnam detrimentum gravius ipsis inferri potest, quam si unica spe, quae superest, privantur, spe sanationis, quae spes fere nulla est, quamdiu desunt aedificia, instituta apta, desunt Medici, deest facultas et occasio sanandi.

At vero, ita occurritur nobis, non est in potestate privatorum hominum, illa erigere Nosocomia, quae tu vis, atque id efficere, ut ea cura, quam tu postulas, Maniacis impendatur. Audio. Quid autem? Tot sunt in Patria nostra, a civibus nostris atque a majoribus aedificia atque praeclera instituta, caritatis, aut aiuoris scientiarum documenta, ut non videam, quare instituta, ad sanandos atque curandos Maniacos apta, vires privatorum hominum superent, si voluntas firma est cum prudentia conjuncta, multique se hujus caritatis socios adjungunt. — Sed superent vires. — At vero sunt Magistratus urbani, sunt Praefecti atque Ordines Provinciarum, atque si hi non possunt, aut si, quod vix credibile est, parum haec rem, quae vere in religionem venit, curant, eam ad libitum differunt, vetera tinentur, — est Regia Potestas, quae in nostra Patria paterna est potestas, quae,

uti debet, ad miseros tuendos semper parata est et propensa.

Si quis autem dicat, Medicos in primis, qui hos mōrbos negligant, hac in re esse accusandos, is sciat, Medicum eos vix posse sanare, nisi accedat Psychica cura. Quamdiu pessimis caneellis seclusi, omni fere alia cura et auxilio sūnt destituti, nulla cura Medicā; quod etiam experientia satis docet, tanta sanationis impedimenta superare potest.

Accedit id, quod maxime doleo, ut ea pars gravissima Medicinae, quae curam Maniacorum spectat, nīmis sit in Pātria nostra neglecta, adeo ut magna pars Medicorum ejus sit imperitior. — Quare ego ipse ante aliquot annos a Medicinae studiosis rogatus, hanc partem docere lubentissime id me suscepi. — Sed quomodo, quaeso, hae lectiones ita, ut fieri oportet, institui possunt aliis locis, ubi Praeceptoribus ipsis nulla datur occasio hos mōrbos saepius contemplandi, investigandi, atque medicām curam ipsis adhibendi? — Quomodo Discipuli ipsi ex his lectionibus māiores fructus cārpere possunt, si ipsis non ēst facultas, hos Maniacos ipsos, Praeceptoribus ducib̄es, nonnūquām visitandi? — Nam,

cum in omnibus Medicinae partibus, tum in hac parte, propria experientia dux est et optima Magistra.

Quare Nosocomia instituantur diversis Patriae locis, atque in primis in urbibus, ubi sunt Academiae, neaque non magna, non splendida, neque nimis sumtuosa, sed idonea, salutaria, atque quantum id fieri potest, hortis et spatiis, omnibus adminiculis, quae sanationem spectant, instructa. — Tum demum erit data facultas Praeceptoribus cum maximo fructu docendi, Discipulis autem discendi et experiundi; tum demum mutua et salutaris aemulatio inter haec Nosocomia ori- ri potest, ita ut quodlibet hanc appetat laudem et gloriam, ut maximum beneficium misericordis tribuerit; — tum demum implentur hac in re officii partes, quas caritas hominum poscit et praescribit; tum maximo isto gau- dio frui potest homo, hominum et Patriae amans, ut longe maxima pars horum misericorum sanitati restituatur, atque Patria ipsa in eo gloriari possit, ut hujus benignitatis laude non amplius cedat exteris..

Utinam haec brevi siant, atque cito aufe- rantur obstacula, quae inimis in rebus,

quam in animis hominum sunt posita. Haec  
ardentissime opto; in spem adducor. Spes  
mea nititur humano sensu, quem nostri  
cives tot caritatis monumentis declarant; nitit-  
tur morum mitiorum, disciplinarum, atque  
in primis Medicinæ artis progressu; nititur  
indole Regis augustissimi nostri, qui tot be-  
neficiis Patriam ditavit, atque hanc sum-  
mam humanitatis coronam lubens additus  
est (16), sed maxime spes mea nititur Deo,  
miserorum vindice atque defensore.



## FATA ACADEMIAE.

Quum jam ad Academiae fata enarranda, quae est provinciae mihi hodie demandatae pars altera, aggredior, quod vitae hominis communis est, laetissimis etiam tristia fere semper admisceri, ego ipse quoque nunc experior. Etenim plura caue graviora mihi sunt referenda, quae merito laetamur, sed hujus gaudii partem deimit recordatio optimorum virorum, qui nuper nobis morte erepti sunt, quibusque defunctis, ut justa solvamus, monet animi sensus et pietas.

Vix enim tertium seculum felicissimis sub auspiciis ingressa nostra, Academia jam luget Virum nobilissimum Allardum Philippum Reinierum Carolum, Baronem

*van der Borch* per septem annos ejus Curatorem vigilantissimum, virum non modo stirpis nobilitate, summisque, quibus pérfunctus est, honoribus et muneribus, verum etiam animi ingeniique dotibus, moribus, atque in Patriam meritis spectatum et insignem.

Elucebat in ipso jam puero singularis mentis acies atque studiorum ardor, quibus effectum est, ut in Gymnasio Daventriensi, duce Viro eruditissimo Bosscha, qui hujus Gymnasii tum Rector erat, ita in literas incumberet, ut 14 annos natus jam literis humanioribus ita instructus esse videretur, ut Academicis lectionibus interesse posset; quamquam propter tam juvenilem aetatem non nisi quatuor post annis Academiam Rhenotrajectinam adiret; in qua Juris studio addic-tus, tot in hac disciplina, atque tam celeriter fecit progressus, ut jam biennio post dignus haberetur, in quem summi in Jure utroque honores conferrentur; qui etiam more Majorum, in celebratione festi semi-saecularis alterius Academiae nostrae, in eum collati sunt.

Itaque Juvenis, vix 20 annos natus, summis doctrinae laudibus ornatus, Academiā re-

licita, in villam suam recessit, non ut aliorum exemplum secutus, iners ibi tereret otium, sed ut doctrinis et artibus plenius instituuntur, quibus Patriae atque in primis Gelriae sua, quae Provincia, natale solum, ipsi prae aliis cara erat, utilis evaderet civis. — Quod ipsum impulit, ut maximo studio complecteretur tum ea, quae Gelriae historiam, leges, rem nummariam aliaque spectant, tum in primis, quae ejus agriculturae juvandae atque emendandae inserviunt; in quibus, quantum profuerit, testantur scripta, quae in lucem prodidit; ex quibus nonnulla auro condecorata sunt, tum munera gravissima atque honorificentissima, quibus laudabiliter functus est. — Id enim semper studiose agebat, ut aliis prodesset; detestabatur motus et perturbationes, quibus tum Patria misere vexabatur, atque hanc sibi legem semper statuebat: *boni civis est, praesentem Patriae statum tueri.*

Quaecunque vero munera, licet quam maxime gloria, talia erant, ut iis impediri posset, quo minus in villa sua agriculturae, quae ipsi semper in deliciis erat, operam daret, ea constanter recusabat. — Nostrae au-

tem Academiae, ad quam maxime propensa erat ejus voluntas et studium, ante hos septem annos Curator a Rege creatus, illud semper maxime in votis habuit, ut festo Saeculari alteri praesens esset, quibus votis benigne annuit Deus.

Recordemini senem corpore vacillante, animo vero hilari atque alaci huc properantem, ut huic festo interesset, communisque gaudii fieret particeps. — Ipsi tum contigit rara quidem illa felicitas, ut summos illos honores, more Majorum Juvenibus tributos, adspiceret Curator, quos eosdem honores in simili festi celebratione ejusdem Academiae alumnus ipse acceperat.

Contigit etiam aliis Viris, sed iis paucis, ut utriusque festi essent socii, quare et ipse et illi Viri laudatissimi hujus gaudii testimonium esse voluerunt donum egregium, quo tum Bibliothecam Academicam ornaverunt.

Haec autem laetitia, qua tum fruebatur senex venerandus, similis amoenis solis occidentis radiis, postremos dies vitae laudabiliter peractae exhilaravit. — Etenim non multo post, morbo atque malo quodam inveterato ingravescente, singulari mentis con-

stantia et vigore mortem appropinquantem exspectavit, atque corpore, non animo, confessus ad beatiorum sedem abiit.

Hunc autem Virum egregium Patriae, Academiae disciplinis, quas coluit, omnibus, quibus profuit, erectum cum lugeamus, est tamen, quo recreemur; quoniam non solum vos Viri Amplissimi! sanos et salvos hic adesse, sed etiam Curatoris locum vacuum occupatum esse videmus a Viro nobilissimo, Pabst van Bingerden; quem valetudine minus prospera hic absentem dolemus; quod munus honorificentissimum illi oblatum eo labentius et Vobis et Academiae gratulor, quo tutius confidere possumus, Virum tanti nominis, tantisque honoribus atque doctrina insignem, nostrae Academiae res omnibus viribus adjuturum fore.

---

Ex Ordine etiam Professorum nobis morte crepus est Gabriel Oordtius noster; senex venerandus, quem merito suo lugeamus omnes. — Erat enim in eo mitis indoles, urbanitas, comitas, singularis officiosa voluntas, benignitas, et liberalitas, quam nemo miser frustra implorabat, probitas et pietas

vere Christiana, quam oinnes, qui ipsum cognoverant, venerabantur.

De ejus studiis et vita haec pauca hoc loco dicantur; uberiorem enim commemorationem eorum a Clarissimo nostro Heringa, qui ipsi fuit et munere et amicitia conjunctissimus, optamus, atque exspectamus.

Cum in Academia Lugduncensi, in litteris humanioribus Ruhnkenium, Valckenarium et Schultensium, in jure naturali Pestelium, in philosophia Wyngersium, atque in theologicis disciplinis Kempium, Gillissenum et Boersium audivisset, ad nostram Academiam se contulit, atque ibi per duos annos in Philosophia et Theologia Hennertio, Rossino et Bonneto ducibus usus est. Hisce egregiis Doctoribus tum singulari sua diligentia, ardore et majoribus progressibus in studiis, tum humanitate, modestia et observantia adeo se commendavit, ut in dilectissimis discipulis fere ab omnibus fuerit habitus.

Hacc autem laus doctrinaeque copia, quam sibi comparaverat, maxime valuit, ut ad maiorem stationem, in qua vires suas ad utilitatem Ecclesiae Christianae maxime impen-

dere posset, cito promoveretur. — Nam cum primum in pago *Oestgeest* prope *Lugdunum Batavorum*, deinde in Urbe *Zeelandica Flissinga* et tandem *Harlemi* verbi divini ministerium fidelissimum se praestitisset, ipsi anno 1794 oblata fuit Cathedra Theologiae in Academia Franequerana, quam tamen accipere humaniter recusavit. — Postea eodem fere tempore invitatus est ad Cathedram Philosophiae theoreticae condescendendam in Groningana, Theologiae vero in nostra Academia. — Nostrani elegit, suumque munus tum auspicatus est Oratione Inaugurali *de Juvenibus ad Christianum Sacerdotium formandis*, doctoris religionis Christianae officio, cum praecipuo, tum gravissimo ac praestantissimo.

Quantam autem in hoc munere tum doctrina et probitate, tum diligentia et ardore Academiac, Ecclesiac et studiosac Juventuti utilitatem attulerit, id judicent illi Viri, qui ejus institutione usi, ipsi eo munere funguntur, quod ad augendam atque perficiendam Ecclesiam Christianam maxime valet. — Neque tamen prorsus silentio praeterendum est, ipsum Graphiarii Senatus Academicus mu-

nere singulari cura et diligentia fuisse perfectum per sex annos, ab anno 1810 usque ad annum 1816, itaque per omne illud tempus calamitosum, quo Gallorum oppressio non modo Patriae, sed etiam nostrae Academiac interitum pararet.

Postea autem valetudine minus prospera utens, muneris vacationem honorificam, quam renuntiato omni stipendio petierat, anno 1822 adeptus est; quo tamen otio cum dignitate ad extreum vitae ita fruebatur, ut quacunque re posset Academiae commodis inservire, juvenibus re et consilio prodesse, omnibusque Civis optimi atque virtutis vere Christianae esse exemplum non desierit.

Utinam vestrum Ordinem, Juvenes Optimi! integrum salvumque salutare possim, sed licet pauca funera hic annus tulerit, nulli tamen Ordini, nec aetati mors pepercit. — Egregios enim Juvenes, Pabst, et van Rees tum morum honestate, tum eximiis ingenii dotibus adeo excellentes, ut optimam et Parentum et Praeceptorum spei et exspectationem de se excitavissent, c medio studiorum cursu sublatos lugemus.

A tristibus ad justum gaudii sensum mentes nostras remittamus; nonnulla, quibus amara temperentur, iam attigimus, plura, eaque lactissima, commemoranda restant. Si enim ad vestrum Ordinem me converto, Viri Clarissimi, Collegae conjunctissimi! vos salvos esse, et unum vel alterum modo, quod dolemus, valetudinis, nec gravis tamen causa hic abesse, maioresque natu, qui honorifica quiete fruuntur, pro viribus Civium saluti consulere potuisse, omnes boni mecum laetantur.

Graviter vero dolemus, me hac occasione valetudinis minus prosperae causa desiderare senem, summe venerandum, Heringam, septuagenarium et a Rege Augustissimo hoc anno perhonorifice rude donatum.

Quid in senectute jucundius esse potest, quam conscientia bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio. — Haec conscientia atque recordatio ut ipsi vere sint, omni studio per suam vitam conatus fuit, atque conatibus suis annuit Deus. — Ut alia taceam, quorum recordatio jucunda est, testis est nostra Academia. — Quantum in eo fuit, semper id egit, ut hanc opti-

noscere redderet. si in sanctis, quae sunt benevolentia et suam dignitatem, quae non in vanis quadam gloria et fama, non in vana praedicatione de sua laude, sed in virtute et recte factis posita, atque incorrupta voce bene judicantium de eo, quid deceat, quid in officio sit, declaratur.

Quando in summum periculum nostra Academia deducta erat, ille sua prudentia et studio eam sustentavit, atque forsitan calamitoso illo tempore conservavit. — Testes sunt ejus Discipuli, iisque non pauci, quorum animos religionis praeceptis salutaribus taminabuit; quae aliis nunc tradunt, quibus ipsis ut reportet, obedire ardenter cupiunt. — Si ipsis datur occasio, animum suum gratissimum erga eum declarandi, magnopere gaudent; quod gaudium nuperime vidimus, cum hoc loco, hac in Cathedra, te, Clarissimum Vinkē, dilectissimum suum Discipulūm, cui successorem, nobis Collegam, datum, canticūs commoto animo dicentem, eum tibi in Patris loco fuisse.

Sunt igitur huius Seni, quorum recordatio jucundissima est, quae etiam multum relevant ad acerbitatēm, quam afferre senectus pos-

test, aequo animo perferendam, sed quod gravissimum est, ejusque animum, quae ejus est pietas erga Deum, suum opere exhilarare potest, sunt ei prae multis aliis in sua senectute concessa a Deo benigno, a quo omnia sunt nostra bona, qui vires suas sustentavit, voluntatem suam firmavit, qui ipsi dedit tantam facultatem, ut de aliis, iisque permultis atque gravissimis in rebus optime mereri potuerit. — Pergat Deus ejus esse adjutor. — Benigne ei conservet animi corporisque vires, quantum ipsius id permittit aetas. — Talis profecto Vir nostrae Academiae atque studiosae nostrae Juventutis communis inservire non desinet. — Ipse enim, si quis alias, didicit ulti aetate, atque opus suum facere, dum est dies.

Jam ad te me converto, Vir Clarissime Vinkē, quem Collegam nunc publice salutare posse gaudeo. — Quantum tibi curae sit, atque fuerit, Praeceptoris dilectissimi, cui datus es Successor, vestigiis insistere, quanto amore et pietate eum complectaris, id tua Oratione Inaugurali prodidisti. — Quid igitur exoptatius tibi accidere potest, quam ut ea dona, quae ipsi hucusque largita est

Providentia divina , eadem tibi per omne  
gravissimi tui muneris tempus largiatur ; in-  
primis , ut valetudinis prosperitatem , animi-  
que vigorem tibi conservet . — Haec enixe-  
tibi precamur ; institutio , atque doctrina tua ,  
quod ipse in tua Oratione optasti , maxime  
valeat ad cuim sensum religionis in animis  
tuorum Discipulorum excitandum et firman-  
dum , quo fidi Christi et Ecclesiae Christia-  
næ evadant Ministri , per quos plurimi in  
veram ad salutem viam ducantur , in eaque  
teneantur . Ita etiam hæc tua institutione fruc-  
tus uberrimos et maxime salutares exhibebit  
Academia nostra , suamque dignitatem vere  
tuebitur .

In enarrandis iis , quac nostræ Academiac  
prospera aut adversa , me Rectore , accide-  
runt , primum profecto locum occupat Festum  
nostræ Academiac saeculare alterum ,  
quod praeterito anno celebrare nobis contigit .  
Nam si occasio et temporis momentum con-  
sideratur , cui nemo nostrum antea praesens  
fuerat , neque in posterum praesens erit , id  
omnino gravissimum dicendum est festum ; —  
si rationem , qua celebratum est , tum solemnitatem , dignitatem , gravitatem , atque splen-

dorem egregium, tum singulare illud ab omnibus, servatum decorum, continentiam et moderationem; non modo Festum Academiac splendidum, atque magnificentum, verum etiam, quotquot adfuerint, iis honorificentissimum vocare non dubito.

Si hanc Urbem recordor, tum splendide ornatam, ejusque Cives, qui ad unum omnes, ne iis quidem, quorum conditio est infima, exceptis, suum gaudium certatim significabant, animum subit Matris cuiusdam venerandae imago, quae Natalem filiae dilectissimae omni, qua potest, cura, splendore, omnibus pietatis et caritatis signis, celebrare conatur, ita ut equidem hoc festum, quod celebravimus, non magis Academiae, quam totius Urbis gratissimum festum dixerim.

Si repeto unam causam gaudii, unum amicitiae et hilaritatis vinculum conjunxisse omnes, quotquot huc ex omnibus Patriae regionibus confluxerant, mibi videtur, non magis esse festum Academiae et Urbis Trajectinae, quam totius Patriae.

Quod si vero in memoriam redit calamitas istius temporis, quo Patria peregrinorum dominatione erat oppressa, quae nostrae Aca-

demiae non solum minitabatur interitum; sed eum jam sere adduxerat, atque hanc ipsam Academiam nunc video non modo servatam, sed etiam novis iisque praeclaris viribus et dotibus auctam et florentem; alterum suum festum saeculare ita celebrasse, maximo gaudio et studio omnium, quibus est verus et Patriac, et cognitionis, et disciplinarum amor; haec si recordor et contemplor, mentem meam sentio lactari, admixto tamen serio vicissitudinis humanae sensu.

Si enim ad rerum humanarum levitatem et miram inconstantiam attendimus, si res gravissimas, optimas, easque utilissimas infestis nefandisque manibus misere saepe corrumpi; everti; quin etiam penitus deleri videmus, quae causa est, cur hoc Trajectinae Academiae et Urbis ipsiusque Patriac festum, vere etiam humanitatis, veritatis atque virtutis de Tyrannide, vi, fraude atque inscitia, non splendidissimum dicatur Tropacum.

Recte igitur religionis piaeque mentis sensus, gratusque erga Deum animus exoptavit, ut festum inchoaret et inaugureret religiosa Concio; quia, praecunte nostro acustumissimo Boumanno; insignis hominum multi-

tudo uno ore unoque animo summas pro servata Academia Deo Optimo Maximo gratias egit, atque sinceras pro salute futura preces supplex fudit.

Quis vero laeto inecum non meminerit animo illius diem, quo dubito, num quis nostrum unquam splendidiorem atque magnificentiorem conspexerit; diem, quo praeëuntibus spectatissimis atque nobilissimis hujus Provinciae atque Urbis Gubernatoribus et Magistratis, tota Amplissimorum, Clarissimorumque Virorum, Academiae Curatorum, Professorum, Juventutis denique ipsius studiosae Pompei eximia, vexillis insignita elegantissimis, per praecipuas Urbis partes Templum adibat.

Serenissimo enim Coelo favente, tota Urbs inumeris Vexillis splendidissimisque Ornamentis et floribus adornata festum quoddam Nuptiale reserre videbatur; — incredibilis undique ad adspiciendam hanc solemnitatem confluxerat multitudo, quae tamen ejus gravitate et dignitate ita adsciebatur, ut, mirum dictu, silentio quasi nocturno inducto, inter tot hominum millia nullum motum, nullum rumorem, quis perciperet, verum spectaculi gravitate et splendore penitus communis et

quasi obmutescentes conticuere omnes, et taciti Academiae auctoritatem, et Pompei splendorem admirabantur.

Ecce illa documenta insignia, curâ Magistratus hujus Urbis confecta, quibus voluntatem in nostram Academiam maxime propensam significarunt. — Ecce Vexilla manu Sexus elegantioris elegantissime ornata, quae ipsius nomine illo die Studiosae nostrae Juventuti tradere mihi contigit, quaeque nunc hoc Auditorium egregie adornant, atque hujus festi splendorem aliquando etiam posteris indicabunt. — Recordemini nobilissimum conventum in Templo hujus Urbis primario, in quo effigies Professorum hujus Academiae olim celeberrimorum ita suspensae et collocatae erant, ut Academiac gloriam, quam ipsi tam eximie confirmaverunt et auxerunt, nunc sancte a Posteris conservatam, ipsi quasi praesentes adspicere viderentur; inter quas effigies laeti etiam conspeximus, atque nunc conspicimus in Auditorio nostro imaginem Regis augustissimi nostri, qui hanc Academiam instauravit, auxit atque conservaturus est.

Ita omnium animis intentis, artium doctrinarumque communem cognitionem confluxu

diversissimorum Cultorum in hoc festo conspicuum in Oratione: *De naturali illa doctrinārum conjunctione eloquentissime et ornate tum expressit noster egregius Collega Heusdius*, cuius Orationis merita, si possem, hic referre, summa Viri optimi vetat modestia.

Sed tempus me vetat, plura de hujus festi solemnitate commemorare, quamquam sunt, quae ne verbo quidem attigi, atque tamen dignissima sunt, quae tradantur, atque posteritati praedicentur. — Refer huc in primis solemnitatem ejus diei, quo octo Juvenes, eximii hujus Academiae alumni, alii in aliis disciplinis Doctoratus gradu more Majorum ornati fuerunt; inter quos suis utriusque Collegae Suermanni et Heusdi filios vehementer gaudemus, illisque tales filios, paternae gloriae acinulos, gratulati sumus. — Adde splendidam Inventutis Academicae pompam Principis Auriaci Mauriti triumphum post immortalem victoriam, referentem; tum nobilissimam illam utriusque sexus atque omnium ordinum, inter quos ipse Princeps Auriacus, qui sua praeesenlia Academiae festum honore voluit, congregationem in templo Jacobij, ubi mira suavitatis, nervorum vocumque

cantus delectabantur aures; denique pulchrum illud spectaculum noctis, ubi innumeri igniculi claram diem Urbi reddere videbantur.

Sed inutile esse videtur, in hisce aliisque narrandis diutius versari, quoniam hujus Festi descriptio plana et uberior brevi in lucem prodibit.

Maxima autem afficio voluptate, quod, ad unum consentientibus omnibus, palam possim profiteri, hujus Festi gloriam in primis auctam fuisse laudibus, quas in illo celebrando Juventus nostra Academica merito sibi comparavit, tum ardore, assiduitate et industria, quam in moderandis rebus adhibuit, tum humilitate, qua se commendavit. — Haec sunt ex iis, quae veram Academiae gloriam maxime augent. —

Vobis autem praeципue Viri Amplissimi et Gravissimi, Academiae Curatores! et qui nostre Regioni atque Urbi praecestis, summa pro singulari erga Academiam studio gratia referenda est. — Pluribus enim egregiis documentis, inter quae nummi in sempiternam Festi memoriam, vestra Viri Amplissimi cura confecti, referendi sunt, aperte significastis, quantum nostra Academia vobis curae cordiq[ue] sit.

Id in primis tibi etiam dictum velim, Amplissime hujus Urbis Consul! nam non solum omni cura et studio id egisti, ut omnia efficerentur et constituerentur, quae festi splendorem angere possent, sed etiam eruditissima tua Commentatione de Academiae ortu, et intima ejus cum Urbe cognitione, Academiae, Urbi, atque tibimet ipsi documentum condidisti honorificentissimum, quibus omnibus palam fecisti tuum animum, in Academiani nostram omnemque veram eruditionem propensum, a proavo tuo, qui Provinciae Ordinum Praeses inter Academiae nostrae conditores fuit, minime esse degeneratum.

Ita Vos Viri Amplissimi, Gravissimi, pergitte Academiae commodis et emolumento prodesse, illisque conatibus omnibusque vestris rebus benigne faveat, qui numine suo cuncta gubernat, Deus.

In enarrandis iis, quae Academiacae hoc anno prospera acciderunt, non praetermittenda sunt ea, quibus aucta sunt doctrinarum adminicula.

In his praecipue sunt commemoranda splendidissima dona, quibus hoc anno ornata Academiacae Bibliotheca est, quae in

saeculari Oratione memoravit Vir Clarissimus Heusdius, Bibliothecae Praefectus. — Accesserunt deinceps cum alia, tum eximium Victoris Cusini munus: *Ouvrages inédits d'Abélard par M. Victor Cousin, Paris 1836.* Addimus his autem duo, quae his ipsis diebus ad nos perlata sunt; primum superiorum temporum Aluinos Academiae nostrae, quibus vitam Academicam communibus reminisci conviviis placuit, certam destinasse pecuniae summam, ut, cum in benevoli erga aliam Matrem animi testificationem, tum in festi saecularis memoriam, Academiae Bibliotheca splendido dono literario ditaretur; — alterum Viros in hac Civitate spectatissimos, Festi nostri opportunitate, florenos ter mille et quadringentos Bibliothecae esse gratificatos, quod item donum haud jam contemnendum, novis comparandis libris adhibetur. Ego vero A. H. utroque hoc nuncio vobiscum communicato, nolim committere, quin liberalissimis donatoribus cum praesentibus, tum etiam absentibus, pro tantis muneribus gratias agam quam maximas.

Non eadē dici possunt de Museis nostris. — Neque enim Museum Geologicum et

Mineralogicum novis speciminibus, neque Laboratorium Chemicum novis instrumentis hoc anno aucta fuerunt, quamquam disciplinis illustrandis atque amplificandis egregie inserire pergunt.

Museo Anatomico, quoniam copia pecuniae, quae ipsi quotannis suppeditatur, perquam exigua est, pauca tantum specimina addi potuerunt. Quae adsunt, ad erudiendos Anatomiae et Physiologiae studiosos maximo cum fructu adhibentur.

Musaeum Zoölogicum non auctum fuit; specimina, quae adsunt, bene conservantur.

Horti Botanici curam Vir Clarissimus Koppius, honorifice rude donatus, Viro Clarissimo Bergsma hoc anno tradidit.

Nosocomium Medicinae Studiosis egregiam dedit facultatem et opportunitatem, ut ipsi, ducibus Viris Clarissimis Suermanno et Wolterbeekio, artem hanc salutarem universam exercerent, morborum internorum atque externorum decursum et naturam investigarent, atque etiam in absolvendo partu naturae vires et artis auxilia in isto promovendo et moderando cognoscere atque prudenter adhibere possent.

Quantos in omni disciplinarum genere progressus complures nostrae Academiacae Alumni hoc anno fecerint, praeclara ab illis edita doctrinae specimina palam testantur, inter quae Dissertationes elaboratissimae, occasione festi saecularis publice defensae, merito referendae sunt: — Neque tamen vestra nomina praetermittenda sunt, Juvenes egregii, qui in Academia Leidensi hoc anno praemiis aureis et honoribus ornati fuitis. — Talis enim laus ab ordine Mathematicorum et Physicorum obtigit, tum Fockensio nostro, cui post plures victorias, hic et alibi reportatas, iterum palma data est; tum diligentissimo nostro Margareto Cornelio Verloren in eodem ordine, de quaestione Zoologica, tum denique ornatissimo Vaillant, cui Jurisconsultorum ordo testimonium honorificum largitus est.

Hac denique diligentiae merita testantur Juvenes egregii in Certamine literario Victores; quos ut publice praemiis ornem, Virum Clarissimum Holtium, qui Senatui ab actis est, rogatum velim, ut judicia Fænlatum nobis prælegat; in antecessum autem mihi monendum est, Ordini Medicorum nullas pro

praemio obtinendo oblatas fuisse Dissertationes.

---

### JUDICIUM ORDINIS LITERATORUM.

Dirimendam proposuerat Ordo Literarius quaestionem hancce: „Ex antiquac Politicac principiis, atque ex ipsa civitatum antiquarum historia, effatum explicetur Veterum, quod ad Ciceronem est pro Cluentio C. 53. *legum omnes servi sumus, ut liberi esse possimus,*” ad quam tria accepit responsa. Primum, his verbis distinctum; πόλεως ψύχη εἰσιν οἱ νόμοι κ. τ. λ. quamvis et sagacitatis et doctrinae laudem habeat, tamen nec disputandi ordine, nec vero stili nitore sic sese commendavit, ut vel praemio vel honorifica commemoratione dignum censeretur.

Magis Ordini placuit secunda disquisitio, verbis inscripta Senecae: *Deo parere libertas est:* quainquam haec item non magnopere tersâ Latinitate insignis est, sed accuratain habet partium distributionem, ordine procedit justo, ut perspicuitate se mirifice commendet, et vero praeципuum in eâ quaes-

tionis argumentum recte explicitum est! Cum vero Auctor sententiam Veterum ex antiqua politicâ, non ex *historia*, ut item postulabatur, illustrasset, Ordo non praemium, sed honorificam mentionem disputationi tribuit.

Utrique illi Specimini praestat, de Ordinis sententiâ, tertia commentatio, quac Platonis dictum adscriptum habet: Νέος μὲν γὰρ ὥν. — Desideravimus in cā concinnitatem, sed auctor et plene argumentum tractavit et recto iudicio gravissimam antiquitatis sententiam exposuit, ut nobis proposito praemio dignissimus videretur. Apertis scidulis hujus repertus auctor est Janus Gerardus Hullermann, Phil. Theor. et Litt. in Academia Rheno-Trajectina candidatus. Secundae disquisitionis scriptor apparuit Bartholdus Jacobus Lintel de Geer, Phil. Theor. et Litt. hum. candidatus, et in Academia Rheino-Trajectina studiosus.

---

Tu igitur primus huc accedas Jane' Gerardi Hullermann; Audivimus honorificam Clarissimorum Virorum sententiam de tua Dissertatione, atque de doctrinâ speciminiibus, quac dedisti. — Haec te declarant

dignissimum, cui hic nummus aureus, quem tibi trado, tradatur, eoque libentius hoc facio, quo majori gaudio animadverti, tale de vera libertate argumentum duobus nostrae Academicae alumnis adeo placuisse, ut in eo elaborando vires tentaverint; argumentum enim, quid Veteres de vera libertate iudicaverint, nostro imprimis tempore est gravissimum, quo tam multi, nescio quam, libertatem sine justis legibus, sine moribus honestis in suam aliorumque perniciem petulanter venditare solent. Apage istam libertatem homine atque societate indignissimam. — In nostra Academia seculo tertio audiatur dictum: *Virtutum servi sumus, ut liberi simus.*

Placet igitur Omen, primam in hoc tertio Academicae nostrae seculo victoram ejus Alumnos de tali arguimento reportasse; libenter id accipimus.

Tu vero perge hac regia via, hoc veri recti, honestique studio aliis exemplo esse, ut quales honores jam tibi et Academiae adferas, tales aliquando fructus capias, cum ad doctrinae laudem, tum imprimis ad virtutem et veram vitae felicitatem uberrimos.

Id et tibi dictum, velim ornatissime Bartholomeo Jacobo Lintel de Geer; tuae enim dissertationi atque tuae doctrinae magnae etiam tributae sunt laudes; accipe ergo a me hoc testimonium honorificum, quo industriam tuam ornarunt Praeceptores. Habet igitur, quod gaudeas, quod te, si opus sit, novis stimulis excitet, ut eadem, qua tam laudabiliter coepisti, diligentia et studio in artibus et disciplinis progrediaris.

## JUDICIUM ORDINIS MATHES. ET PHILOS. NATUR.

Ad propositam Quaestionein Zoologicam: Quaeritur insectorum lepidopterorum, quae, in opere Crameris: *les papillons exotiques des trois parties du monde* etc. ejusque supplemento, descripta et delineata sunt, Catalogus, continens enumerationem systematicam specierum, in sua genera redactarum, secundum methodum Cel. Latreille, in posteriore editione Cuvierii operis: *le Règne animal* etc. expositam — duas accepit Commentationes, unam, Fabricii verbis inscriptam: *Nu-*

*merus specierum, in Entomologia, fere infinitus, et, nisi in ordinem redigantur, Chaos semper erit Entomologia; alteram, symbolum habentem dictum Ciceronis: In hoc sumus sapientes, quod Naturam, optimam ducem, tamquam Deum sequimur.*

In priore Commentatione, licet magna auctoris diligentia et eruditio abunde pateant, plurimae tamen, in Crameri opere delineatae, insectorum Lepidopterorum species prorsus omissae sunt; tum etiam variae insectorum figurae in sua quaque genera *haud accurate* redactae.

Quod quidem inde ortum fuisse videtur, quod, Crameri tabulas cum ipsis Naturae speciminibus comparandi, opportunitas auctori, ut ipse satetur, defuerit.

Hanc autem opportunitatem posterioris Commentationis auctor non tantum habuit, sed *tam egregie* quoque adhibuit, ut *et* speciem, apud Cramerum obviarum, nullam fere negligeret, *et* in figuris accurate in sua genera redigendis diligentior esset, *et* vero etiam, comparatione cum ipsis speciminibus instituta, *nonnulla*, quibus Crameri tabulae laborarent, indicaret *vitia*. —

Deinde, praeter *requisitum*, secundum Latreillii methodum, *Catalogum*, alterum quoque dedit, juxta Ordinem tabularum redactum; unde haec Commentatio ad Grammeri operis usum longe fructuosior esse poterit. Denique, in fontium delectu instituendo, tanto ingenii et judicii acumine usus est auctor, ut Ordo, variis hisce laudibus perpensis, *posterioris* hujus *Commentationis Scriptori praeium tribuere* non dubitaverit. — *Prioris* tamen *Commentationis* auctorem suis quoque laudibus haud destitendum ratus, *secundos huic offerre honores*, decrevit.

Resignatae igitur scidulae et legitimie institutae disquisitiones *Victorem*, in hoc certamine, demonstrarunt **Henricum Verloren**, in nostrâ Academiâ Juris Candidatum; — qui autem ad hujus accederet laudes, **Petrum Henricum Jacobum Wellenberg**, Medicinae studiosum, in Academiâ Lugduno-Batavâ.

---

Huc igitur adscendas, **Ornatissime Henricus Verloren.** — Modo fratrem tuum laudavi, cui vix Palladis saera ingresso nuperri-

me ab Academiac Lingdunensi palma in Historia Naturali concessa fuit; Tibi, licet Juris Studioso, in eadem disciplina a nostra Academia nunc aequalis tribuitur palma. Laudabilis omnino est haec fraterna acmulatione; ambo pari studiorum et verae gloriae amore in hoc certamen descendistis, ita tamen, ut ex eo ambo Victores escendere potueritis.

Accipe igitur hunc nummum aureum, egregium industriae et doctrinae praemium. — Num vis majus quoddam nobiliusque? — Ecce Patris hic praesentis gaudium, Patris venerandi, filiorum virtutibus beati. Quid enim pio et probo filio dulcissime esse potest, quam Patrem, a quo tot bona accepit, gaudio afficere.

Pergatis ita, tu et frater tuus, ut Patris gloriam, familiae decus, Patriae ornamentum aliquando vere appellari possitis.

Te autem, Vir aestumatissime, Patrem horum filiorum cum praesentem videam, non possum non tibi ex animo tales filios gratulari. — Annuat Deus tuis precibus pro ipsorum salute. — Ita sint et mancant hi filii fontes uberrimi felicitatis tuae vitae.

Neque te, Petrum Henricum Jacobum Wellenberg, absque honoris significatione dimittam; audivisti laudes, quas tuae commentationi tribuit ordo Philosophiae Naturalis, quae non sunt exiguae.

Hoc igitur Documento tibi testimonium honorificum trado. Non auri pretium, sed honos alit artes. Perge igitur hoc honore incitatus eadem diligentia et ardore in utilissima atque jucundissima Naturae studia incunibere, ut, quemadmodum Academiac tuae Lugdunensi es honori, ita aliquando Medicorum Ordini fias ormentum.

#### JUDICIUM ORDINIS THEOLOGORUM.

Ordo Theologorum unum tulit responsum ad propositam quaestionem: *schismatis in Dioecesi Rheno-Trajectina (1423—1457) historia ita enarretur, ut simul ejus vis exponatur cum in Ecclesiam et Hierarchiam Belgicam, tum in praeparandam sacrorum in patria nostra emendationem, cui symbolum . . . . non Reformationis cel.* Cum vero in schismatis historia enarranda,

conditionis, quâ *cum* universa *tum* Belgica Ecclesia et Hierarchia tunc temporis erant, nullam auctor rationem habuerit, et, schismate plane in se spectato, ne verbum quidem de remotioribus illius causis monuerit; cum praeterea unum ordinem Chronologicum adhibuerit, et schismatis vim, *cum* in Ecclesiam et Hierarchiam Belgicam, *tum* in praeparandam sacrorum in patria nostra emendationem levius exposuerit; cuim denique Latinitas viitiis scateat quam plurimis, hancce commen-tationem praemio ornandam non censuit Facultas.

Lubenter tamen animadvertisit Ordo, aucto-rein in adhibendis optimis ad schismatis historiam explicandam fontibus, egregiam posuisse operam, atque in nonnullis factis recen-sendis laudabilis industriae et *ἀκριβείας* histo-ricae documenta subindo dedit; quapropter eum publice laudandum censuit. Ad id invitatus, Disputationis aucto-rein sese profes-sus est, quod aperta schedula probavit, Egbertus Roelants, Theolog. Studios. in Academia Groningana. Adversa autem valitudine hic praesens adesse non potuit.

---

**JUDICIUM ORDINIS JURISCONSULTORUM.**

Ad quaestionem propositam:

« *Succincte exponatur, quale Caroli V.  
aetate in diversis Belgii regionibus ei  
subjectis jus summi Imperii quibusque si-  
nibus sunimi Imperantis potestas circum-  
scripta fuerit.* ”

duo accepit responsonis specimina, alterum  
inscriptum verbis Schelleri:

« *Ihn hält in schranken nur das deutliche  
Gesetz*

*Und der Gebräuche tief-getretne Spur,* ”

alterum Horatii verbis:

« *Valeat res ludicra, si me*

*Palma negata macrum, donata reducit  
opimum.* ”

Quae autem quaestionis propositae vera sententia est, cum ex ipsis Juris Publici principiis, tum ex aetatis Caroli V. ratione et peculiari eâ aetate regionum Belgicarum conditione aestimanda, eam nec bene intellexisse, nec, quod debuerunt, explicuisse visi sunt utriusque speciminis auctores: Neutrum igitur quaestioni satisfacere judicatum est. Lau-

dabili quidem industriâ quâdam auctor prioris scriptoris in omnium regionum Belgicarum Carolo V. subjectarum *conditionem* politicam inquisivit. Verum non satis, quod utique oportuit, etiam in *constitutionem*, patrum reputans, Juris Publici quaestionem sibi esse propositam, Jureconsultorum more tractandam. Praeterea nec fontes optimos quoque adiit, nec usus est optimis quibusque subsidijs literariis. Historiae enim fontes paucos delibavit, juris pauciores; a recentioribus maxime scriptoribus proficiens, Jureconsultorum scripta neglexit, Historicorum autem nullo cum delectu adhibuit. Unius adeo inter ceteras regiones legem publicam, qua velut fundamento Publici Juris constitutio Carolo Imperante tota consistere videtur, silentio praetermisit. Eo nomine sane laudabilior fuit auctor posterioris specimeninis, magisque ejus scriptio tam in disponendis quam in tractandis rebus Juris studiosum resert. Ceterum hic, praeter plura illius peccata, propriis quibusdam sibi offensis notabilis est. Vix enim unius alteriusve regionis rem publicam, Caroli aetate, jure constitutam accusatus examinavit; et quem harum regionum

statum publicum perspectum habuisse sibi  
visus est; cum quasi omnibus communem  
fuisse praesumsit. Eorum quae publice acta  
sunt Caroli V. aetate; ad definiendam ne-  
cessitudinem regionum Belgicarum cum Im-  
perio Germanico, ne verbo quidem mentio-  
nem fecit. Quae autem de illa necessitudine  
ipsa pauca interposuit; ea longe abesse a rei  
veritate, levissimo quoque aspectu deprehens-  
ditur. Offendunt, quoque alia multa in hoc  
specimine non solum a juris eorum tempora-  
rum ratione, verum etiam ab historiae fide  
aliena, quos errores vitare potuisset auctor;  
cum diligentiori fontium investigatione, tum  
adcuratori cognitione verae significationis ver-  
borum, quibus tunc temporis variae publicae  
potestatis partes appellari solebant. Nonnulli  
eorum errorum utrique specimini communes  
sunt, longe plures vero in eo conspiciuntur;  
quod posteriori loco memoratum est. Prae-  
mio ornari, ob causas expositas neutrum  
potest.

Vidistis Juvenes, ornalissimi, quam gloria-  
sit certaminis Literarii victoria. — Noyas au-

tem quaestiones , quae decretæ a singulis nostræ Academiacæ facultatibus , nunc vobis prælegantur , non habeo ; mutata enī lex constituit , ut hoc quidem anno a solo Senatu Academicō Groningano quaestiones certaminis literarīi proponantur . Ergo hoc non impedit , quo minus vires vestras in gloria hac Palaestra periclitemini . At vero parvus est in ea Victorum numerus , minor est etiam nunc redditus .

Alia tamen est palaestra , magis etiam gloria , in quam quilibet vestrum , dummodo firma est ipsi voluntas , sine periculo descendere ; atque præclaram coronam reportare potest . — Scilicet haec Corona exercitationibus virtutum est proposita ; quam accipit , qui excellit honestate , humanitate , pietate , modestia , recte factis ; — Corona , in qua posita est omnis vera gloria , omnis hominis dignitas , quae permanet post mortem , — Corona , qua nemo sine sua culpa caret , quam si meruimus , nemo nobis negare , nemo eripere potest . — Haec est conscientia bene actæ vitae , multorumque benefactorum recordatio .

Hisce virtutis exercitationibus nos Professores , Vos studiosi , gloriam nostræ Academiacæ , quae nunc tertium seculum est ingressa , a

Parentibus acceptam, intaminatam, uti oportet, quin etiam auctam nepotibus tradamus, neque patiamini in nobili hoc certamine ab ulla Academia nostram superari.

Haec Vobis in primis dicta sunto, Juvenes dilectissimi, quibus est sensus veri et honesti, qui a laudandis Viris merito laudari cupitis; vocibus autem corruptis, levitati, atque pravae libidini non aures præbetis. — Pergite; ut facitis, dignitatem nostræ Academiac tueri, et memores estote, quam præclarum sit; quam jucundissima recordatio, alios ad rectam viam reduxisse.

Te antem Deum omnipotentem et benignum ardenter precamur, ut sinceris hisce conatibus omnium, quibus salus nostræ Academiac curac est, tuo numine saveas, ipsique auxilio ad sis. — Ita etiam hoc tertio seculo nostra Academia, post fata superstes, te auspice servabitur in columis, ita veram ejus gloriam nepotibus intaminatam tradere possumus.

---

Hisce igitur peractis, unum idquæ gratissimum mihi superstes, ut Successori Rectionis munus atque insignia tradam.

Te igitur Ludovice Gerarde' Vischer, ex Augustissimi Regis decreto in proximum annum Academiæ Rectorem publice dico, proclamo. Accedas igitur, et jure tuo, quam tibi relinquo, occupes sedem.

Salve Magnifice Rector, cui sigillum, et quidquid Academiae Magistratus honoris et oneris habet, omnia trado. Annus tibi contingat felix atque tranquillus, te Rectore floreat Academia, atque laetissima capiat incrementa.

D I X I.

## A D N O T A T I O.

(1) Vid. J. C. A. Heinroth, Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens, Leips. 1818. I. Th. pag. 69. sq.

C. Sprengel, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde, Halle 1821. 3 Aufl. I. Th. p. 21. pluribusque aliis locis.

J. B. Friedreich, Versuch einer Literatur-Geschichte der Pathologie und Therapie der Psychischen Krankheiten. Wurzburg, 1830. p. 1. sqq.

F. E. Foderé, Traité du Delire, Paris 1817. Tom. I. pag. 45.

(2) Vid. J. B. Friedreich, Versuch etc. pag. 90. sqq. C. Sprengel, Ueber Plato's Lehre von der Geisteszerrüttungen. In Nasse, Zeitschrift für Psychische Ärzte, 1818. 2 Heft. pag. 159. sq.

(3) De morbo Sacro, §. 2, 3. Edit. Linden. Tom. II. pag. 142. sq. — Me non fugit, hunc Hippocratis librum esse spurium, neque a primo Hippoerate conscriptum, verum in genuinis libris pluribus locis causae naturales Melancholiae et Maniae enumerantur, unusquam vero de Daemonibus sermo est. — Vid. eodem J. B. Friedreich l. c. pag. 46. sq. et praecepit egregiam Dissertationem Inaug. Doct. II. Nasse, *De Insania, commentatio secundum libros Hippocratis*, Bonn. 1829. Cap. 2, 3, 9. atque quae a Patre, Viro Clar.

F. Nassae egregiae animadversiones huic Dissertationi sunt annexae pag. 77. sqq.

(4) A. C. Celsi, De Medicina, Libr. III. Cap. 13.

(5) K. G. Neumann, Die Krankheiten des Vorstellungsvermögens, pag. 180. §. 231. J. B. Friedreich, pag. 42. T. E. Foderé l. c. pag. 106, 110.

(6) J. G. A. Heinroth, Lehrbuch, I. Theil, p. 95. sq. F. E. Foderé, du Delire, Tom. I. pag. 47. C. Sprengel, Pragm. Gesch., 2 Theil. pag. 183.

(7) F. E. Foderé, l. c. p. 99. C. Sprengel, Pragm. Gesch. 2 theil. pag. 202, 209. sqq.

(8) F. E. Foderé l. e. pag. 50. sqq. K. G. Neumann, l. c. pag. 181. C. Sprengel, l. e. 3 Theil, pag. 385. sqq.

(9) K. E. Neumann, l. e. pag. 182.

(10) Th. Arnold, Observation on the nature and prevention of Insanity, Lunacy or Madness., Lond. 1782.

A. Chrichton, An Inquiry into the nature and origin of mental derangement, Lond. 1793.

W. Perseet, Annals of Insanity, 5 Edit. Lond. sine anno; prima Editio prodiit ann. 1787. sub Titulo. Select cases in the different species of Insanity, Lunacy or Madness.

(11) H. Boerhaave, Aphorismi cum Commentatione Swietenii, Tom. III. §. 1089: ad §. 1127.

Hoc loco adferre lieeat epistolam Boerhavii, olim mihi dono dataam a Doct. Vir. Ph. Themann, Med. Doct. Amstelodamensi. Scripta est ad virum clarissimum Roëlliūm, eo tempore Anatomiae Profesorem Amstelodamensem, atque agit de certa quadam Melaneholia, quae, uti mihi videtur, e causa Hysteria originem duxerat. Ex hac epistola patet, Boerhaviūm, dum morbo, quem comitantem esse suspiebatur, mederi eonabatur, nexus inter animi affectionem atque symptomata morbosa nondum penitus perspexisse, saltem non indieasse; plaeidum tamen regimen medicum commendat, neque curam psychicam neglit. Si cui mirae in eo videantur praescriptio-nes remediiorum, ex tot rebus eompositae, is reordetur, tales eo tempore maxime in usu fuisse.

Est autem hujus argumenti.

GULIELMO ROËLLIO

H. BOERHAAVE.

*Re omni rite perpensa collegi malum, cui obnoxia languet lectissima domina, ex animi potissimum moerore et perturbationibus, pendere, atque causam harum quum ars nostra vix attingat, haud multum subsidii adferat medicina. Id vero, quod simul adest minus bonae conditionis circa vasa uterina medelam quidem, mea sane sententia, admittet. Meditatus commendare ausim, ut simulac jum desinet repurgatio menstrua, hauriat tribus diebus, successi-  
tis, quotidie, mane, jejuna potionem purgantem A,  
integralm, una rice. Vesperi autem ejus diei bibat  
liquorem B. uno haustu. — Hisce quoque diebus prode-  
rit parcior victus, frigoris eritatio, sedatus motus,*

*animi tranquillitas, vesperi pedum balneum per semiho-  
rii spatium. Hisce peractis, consulo, sumat ter quoti-  
die quinque simul catapotia C. superbibendo semper  
unciam unam de vino medicato D. Id oportunum erit  
facere hora ante jentacula, prandium, coenam.*

*Interea loci fugiat largum nimis potus aquosus usum —  
Corpus exercitatione crebra moveat, atque abdomen  
imprimis mane, et vesperi, perfricandum curet pan-  
nis asperiusculis, calidis, siccis, ad eam praecipue  
ventris plagam, qua tumor ille assurgit, quo commo-  
de dissipari sensim queat. Atque ea quidem si, hac  
lege peracta, bene cesserint: tum medio Julii mensis  
aquas Spadanas potas curationem in sauationem duc-  
turas auguror: Si modo intempestiva impraeagnatio  
haud intercesserit, hancque ita methodum ultra retue-  
rit; sique vita etiam et animus, sic regi forte queat,  
ut affectibus majoribus liber, pacate degat. Id ubi sa-  
pienti mouitu felix impetas, Hippocratis eris  
voce Medicus philosophus Deo similis! sed ardua,  
quae pulchra. Vale Leidae 17 $\frac{3}{8}$  33.*

*ιητρος γαρ Φιλοσοφος, τσόθεος  
De decenti habitu Cap. 3. (§ 5.)*

## A.

R<sub>P</sub> Lap. Canceror. gr. VIII.

— Haematit. gr. III.

Myrobalan. Citrin. gr. VII.

Rhei . . . . . gr. IX.

Sacchari perlati gr. VI.

Scammon. lectissimi gr. VII.

Syrup. Cichor. c. Rh. dr. V.

diu, accurate, contritis in mortario vitro,  
vitreo pistillo, admissee.

Aq: Stillatit. Melissae Unc. II.

## A N D R E A S B.

- R<sub>o</sub> Aq. Stillatit Cortic. aurant  
 — — — — — Cinnamomi.  
 — — — — — Méliss. à Ung. β.  
 Sp. Sulph. p. Camp. gtt. III.  
 — vitae Matthioli dr. I.  
 Syrup. violacei dr. II.  
 m. f. haustulus.

## C.

- R<sub>o</sub> Catechu optimi dr. β.  
 Lap. haemat gr. XV.  
 Mastiches gr. X.  
 Olibani.  
 Rhei.  
 Sarcocoll. gunn. à dr. β.  
 Ol. Stillatit. Ciaoī. gtt. LV.  
 m. f. pilulae, singulae gran. III.

## D.

- R<sub>o</sub> Cort. Optimi Capparid  
 — — — — Cinnamom.  
 — — — — Tamarise.  
 — — — — Peruviani à dr. VI.  
 — — — — granator. dr. III.  
 Flor. granator. pug. β.  
 Lign. Santal. rubr. dr. V.  
 Rad. Oxylapathi dr. IV.  
 m. p. unde cum vini  
 Rhenani ♂ IV. F. L. A. vinum medicatum.

(12) Van Swieten, Commentaria in Aphor. Boerhaavi, Tom. III. §. 1113. pag. 514. tum etiam §. 1120. pag. 521.

(13) J. Guislain, *Traité sur l'alienation mentale et sur les Hospices des Aliénés.* Amst. 1826. 2 Tom.

(14) Non inutile duxi brevem hujus Nosocomii descriptionem his addere, ex qua in primis pateat, qualis sit ejus administrandi ratio.

Ante annum 1831 soli Maniae, inferiore ordine nati, in hoc aedificio recipiebantur, qui ibi eaneel- lis angustis putidisque inclusi, eaeterum sibi relict erant, sexu utroque inter se commixto. Numerus alio anno aliis, ita tamen, ut esset fere inter viginti et triginta.

Verum inde ab anno 1831 usque ad hunc diem magis magisqne emendatum et auctum fuit aedificium, ita ut etiam horti fuerint additi, spatia apta ad aërem salubrem et liberum hauriendum, ad exercendum corpus diversosque ludos et labores instituendos, atque officinae, in quibus diversa opera a Maniacis perficiuntur.

Provisum etiam est, ut essent loca et spatia aperta, ubi, qui agiliores, tumultuosiores aut etiam furibundi essent, separati ab aliis sine uno aliorumqne periculo aëre libero frui possent: denique jam hoc tempore exstruuntur officinae, quibus varia opicia atque labores separatim perfici a Maniacis possunt; quod autem maxime necessarium est in ejusmodi Nosocomiis, sexus uterque prorsus inter se est separatus.

His aliisque institutis et cunctis, numerus Maniacorum cuiuscunq; loci et ordinis, qui ad hoc Nosocomium mittebantur, quotannis insigniter auctus fuit. Hi in tres classes divisi sunt, in ditiores, mediae conditionis, et pauperes. — Singulis his classibus diversae sunt aedificii partes, quas habitant, horti et spatia,

in quibus ambulant, corpus exercecent, ludos instituant, atque opera peragunt, adeo ut, similiter atque sexus uterque, alia classis ab alia sit separata. Qui primae sunt classis, singuli suis cubiculis fruuntur, diversis utensilibus ornatis, ut solet esse in domiciliis eorum, qui honestiore loeo sunt nati.

Quoniam occupationes atque assiduus labor mirum in modum Maniacis prosunt, non solum ad placandos animos, verum etiam ad ipsam mentis sanationem restituendam, maxima eura est, ut non coaeti, sed lubentes negotia aliqua et opera in se suscipiant, atque in iis perficiendis detineantur, atque delectentur. Qui inferioris sunt classis ad eos labores, quibus antea per longum tempus assueti fuerant, facile duei possunt; quales sunt opificium, ut sutorum, sartorum, pietorum, fabrorum lignariorum, eorum, qui libros compingunt etc. Hisce omnibus, quantum id fieri potest, praebetur occasio et facultas artem suam exerceendi, suppeditanturque instrumenta ad eam necessaria. — Plurimi serra et securi lignum dividunt, quod ad eomburendum adhibetur, letos aut culcitas (Matrassen), quibus Milites in urbe utuntur, reficiunt; Foeminae linteainina, vestes, vela, stragula aliaque suunt, restituent, eibos parant etc.

Quanta autem opera hoc modo occupati confiant, ex hoc judicari potest.

Initio hujus anni 1837 numerus Maniacerum ex inferiore classe aequabat 19 viros, ex quibus 17 (duo enim ita erant stupidi, ut ad nullum opus apti essent) inde a 1 Novembr. 1836. ad 1 Mart 1837. haec peregrinunt.

Ligna securi et serra divisorunt in 4800 frusta.

14 Culcitas refecerunt.

44 Vestimenta varia, pilea pannea etc: confecerunt.  
Deinde duo fabri lignarii Maniaci fabricati sunt 74  
diversa utensilia, ut mensas, sellas, subsellia, seabella,  
atque 109 utensilia repararunt etc.

Eodem tempore II Foeminae e diversis classibus 705  
ulnis linteis atque Gossypii usae fuerunt ad stragula,  
vela, vestimenta aliaque acu conficienda; praeterea  
plura tibialia contexta sunt; ad quos labores diligenter  
tiores praemiis parvis atque delectamentis alliciuntur,  
et extimulantur, numquani vi coguntur. Ditiones  
ludis diversis, pingendo, Musicen exerceendo, aliisque  
occupantur; praeterea Bibliotheca parva illis patet,  
atque unus ex iis Bibliothecarii vice fungitur.

Cura hujus Nosocomii septem Curatoribus, quibus  
ego ipse adnumeror, demandata est. Praeterea est  
Medic. Doct. Vir doctissimus N. P. Visscher, qui  
quotidie Maniacos visitat. — In ipso aedificio habitat  
Oeconomus ejusque uxor, quibus rerum gerendarum cu-  
ra est, ut ea, quae a Curatoribus atque a Medicie. Doc-  
tore jussa sunt, peragantur.

Inter ea, quae in administrandi ratione emendata  
sunt, in primis referendum est, quod haec administra-  
tio ita inter Curatores divisa fuerit, ut cuilibet sua  
pars in ea fuerit commissa.

Unus aedificio praest, quid conficiendum vel re-  
parandum sit, curat, hisque de rebus enim Architecto,  
redemptoribus atque opificibus deliberat; secundus rei  
nummariac praest; tertius Actuarii vice fungitur; quartus  
rei alimentariae prospicit, idque in primis curat,  
ut cibi optimi, salubres, a venditoribus modico pretio  
suppeditentur, ut bene praeparentur etc. quintus,  
quae ad vestimenta referuntur, administrat, quae ad-  
ministratio late patet, quoniam Maniaci ex inferiori-

classi Nosocomii sumtibus vestiuntur, atque hæc vestimenta ipsa magnâ ex parte operibus Maniacorum, quae diximus, conficiuntur, atque reparantur; sexto autem Curatori provincia demandata est, ut dirigat atque administret ea, quae spectant labores, excretiones, atque reerationes, quae provinceia, quam gravis sit, ex iis, quae dicta sunt, satis appareat.

Cura Medicinalis N. P. Visscher, Med. Doct. atque mihi demandata est, ita ut ille Vir Doetiss. quotidiam enram in se susepiat, quacque necessaria sunt, praeseribat, Balnei sive stillantis, sive calidi generalis usum indicet; — porro jubet atque Oeconomio significat, num Maniacus propter furorem restringendus sit, nec ne; in casu vero aneipiti talis refrenatio ab Oeconomio institui potest, sed causas hujus rei postea Medico explicare debet.

Denique cum viro doetiss. Visscher statutis diebus omnes Maniacos, qui eura medicinali indigent, visitare soleo, quando mutuo consensu statuimus, quaenam remedia singulis Maniacis praescribenda sint, quid in præscriptione mutandum, investigamus, quosnam effectus remedia in priori consultatione præscripta præstiterint, inque brevi morborum historiâ adnotamus.

Omni alterna fere hebdomade conventus est Curatorum, quorum unus Praesidis munere per biennium fungitur, quando quisque suas res profert; de quibus communis instituitur deliberatio, cui convenit semper etiam Medic. Doctor Visscher adest. Ita omnia, quæ curam medicam spectant, aut ad emendationem Maniacorum quid conferre possint, quinam Maniae restituti Nosocomium relinquere possint, tum a me curam Medicinalem generaliter gerent.

te, tum a Doct. Visscher in couventu illo proponuntur aut indicantur.

Hi Curatores enim Medie. Doctore quotannis, Urbis Consule praesente, rei nummiariae rationem reddunt; internum autem regimen totum iis mandatum est. — Ut antem pateat, quosnam salutares effectus haec mutata et emendata conditio protulerit, non inutile duxi sequenti tabula numerum Maniacorum, qui quinque ultimis annis, quo tempore Nosocomium nostrum inprimis emendari eocpit, Sanati fuerant, referre, atque praesentem ejus conditionem, cum priore, atque cum Nosocomiis quibusdam externis comparare.

Quod ad priorem Nosocomii nostri conditionem attinet, monendum, numerum Maniacorum, qui quotannis aeedebant, atque sanati egrediebantur, tam exiguum fuisse, ut comparatio inter illos, qualem sequenti tabula exhibuimus, institui non posset. Saepe enim unus Maniacus quotannis aeedebat, unus sanatus egrediebatur, quod igitur ad falsam omnino rationem duceret; hae de causa numero Maniacorum, qui quotannis primo die Jan. in Nosocomio aderant, ex 30 annis, id est, ab anno 1800 ad 1830, medium numerum summis, qui aequat 24; sanati egressi sunt intra hoc tempus 36, igitur per annum 1, 2. Ergo ratio est, ut 24 ad 1, 2, Postremis autem quinque annis medius numerus Maniacorum fuit 55, 4, numerus autem Sanatorum 17, 6; inde ratio 55, 4 : 17, 6 vel 554 : 176. Cum autem haec ratio fore sit, ut 24 ad 7, 6, atque prior esset, ut 24 ad 1, 2, sequitur numerum Sanatorum 30 prioribus hujus seculi annis ad numerum Sanatorum quinque postremis annis fuisse, ut 1, 2 ad 7, 6 vel 12 : 76, vel ut 3 : 19.

Nosocomia diversa.	Anni. ab- ad-	Numerus Maniacorum re- ceptorum.			Sanati.			Ratio Sanatorum ad illos, qui re- cepti sunt.
		Viri.	Foemi- nac.	Summa.	Viri.	Foemi- nac.	Summa.	
Nosocomium eno - Trajecti- num.	1832-1833	17	5	22	9	1	10	0,45=1:2,2
	1833-1834	32	12	44	14	—	14	0,31=1:3,1
	1834-1835	26	15	41	16	2	18	0,44=1:2,3
	1835-1836	32	21	53	15	5	20	0,38=1:2,5
	1836-1837	35	22	57	20	6	26	0,46=1:2,2
	1832-1837	142	75	217	74	14	88	0,41=1:2,4
Bicêtre et Salpêtrière.	1825-1828	1085	1488	2573	376	505	881	0,30=1:2,9
arenton . . .	1828-1831	1093	1458	2551	392	492	884	0,35=1:2,9
curabilibus ex- clusis . . . .	1831-1834	1311	1926	3237	338	624	962	0,30=1:3,4 (a)
uen . . . . .	1826-1829	366	253	619	119	90	209	0,34=1:3,0 (b)
enburg . . . .	— —	—	—	487	—	—	209	0,43=1:2,3
curabilibus ex- clusis . . . .	1833-1835	139	126	265	32	40	72	0,27=1:3,7 (c)
Berolini est .	1825-1834	404	226	630	105	70	175	0,28=1:3,6
ilepticis ex- clusis . . . .	1806-1819	—	—	1980	—	—	811	0,41=1:2,4
menstein prope Dresden . . . .	— —	—	—	1728	—	—	811	0,47=1:2,1 (e)
Dresde in Italia .	1814-1824	—	—	1725	—	—	575	0,33=1:3,0 (g)
alem in An- gia. . . .	1799-1815	—	—	4830	—	—	1884	0,39=1:2,6
sgow in Scotia. .	1817-1819	—	—	364	—	—	195	0,54=1:1,9 (h)
	1814-1823	417	309	726	180	122	302	0,42=1:2,4 (i)

a) Compte rendu sur le service des Alienés pendant l'intervalle de 1825 à 1833 M. Desportes. Paris 1835. Tab. VI. pag. 13. (b) Annal. d'Hygiène publique, Tom. I. pag. 131 sq. (c) Notice statistique sur l'Asyle départemental des aliénés établi à Rouen par M. L. de Bonteville. Rouen 1835 pag. 22. Ueber die Anlegung und Einrichtung von Irren Heilanstalten &c. von M. Jabi. Berlin 1834 p. 449. (e) Horn öffentliche Rechenschaft &c. Berlin 1818 315. (f) Nasse Zeitschrift für psychische Aertze. 1818 Heft. I pag. 117. Friedreich Magazin für Seelenkunde. X Heft. pag. 60. (h) Friedreich Magazin l. c. pag. 71. (i) Friedreich Magazin l. c. pag. 75.

In hac Tabula tantum ratio est habita eorum, qui quotannis recipiuntur, neglectis illis, qui initio anni in Nosocomiis aderant; quum enim in diversis Nosocomiis numerus incurabilium, qui dum adsuere, insinuiter differat, omnis comparatio, nisi hoc modo fit, incerta redditur, quod in primis de majoribus Nosocomiis, uti Bieêtre et Salpêtrière, valet.

Practerea monendum est inter illos, qui sanati e Nosocomio nostro 5° postremis annis egressi sunt, non enumeratos esse illos, qui magis minusve emendati, non vero prorsus restituti, familiis suis sunt traditi; quorum numerus fuit 8, inter quos unus, multum jam emendatus, postea penitus restitutus est, sine alieno auxilio.

Nostrum Nosocomium, postquam emendatum fuit; cum pluribus Nosocomiis externis non sine honore posse comparari, in primis ex eo appareat; quod nos in nostro calenlo incurabiles, neque paucos sane, qui 5° ultimis annis accesserunt, non exclusimus, ita ut numerus 217 comprehendat quoque Imbecilles, Idiotas, Epilepticos, omnésque, quorum casus inveterati erant. Ad hanc rem in primis est attendendum.

Haec causa est, cur ratio numeri sanatorum Maniacorum in diversis Nosocomiis tantum differat; veluti numerus Maniacorum in Bicêtre et Salpêtrière, qui eurac medicac commissi sunt, comprehendit quidem Imbecilles et Epilepticos (*a*), sed exclusi sunt incurabiles, qui illis annis accesserunt, quorum numerus fuit 950 in prima serie ab anno 1825 ad 1828; 960 in secunda et tertia serie; horum tamen sanati fuere 13 e prima, 12 e secunda, et 11 e tertia serie, quibus additis, ratio sanatorum

(*a*) Vid. Compte rendu et Tab. I comparatam cum Tab. VI.

ad illos, qui accesserunt, erit 0,25 in prima et secunda, et 0,23 in tertia serie. Si vero Maniacos solos, exclusis Epilepticis et Imbecillibus, computamus (*a*), ratio in prima serie est uti  $2240:883=0,39$ ; in secunda serie uti  $2274:877=0,39$ ; in tertia serie uti  $2919:936=0,32$ , qui numerus nondum aequat rationem numeri sanatorum in nostro Nosocomio; qui erat 0,41, licet nulli sint exclusi incurabiles.

In Charenton plures milites recipiuntur; quorun mania acuta et recens fuisse videtur, ita ut ex 206 Milibus 102 sanati fuerint (*b*), quod quantum ad generalem calculum tribuat, quisque facile perspicit; in nostro Nosocomio etiam nonnulli Milites recepti sunt, sed plures corum erant jam incurabiles.

Doct. Ferrus (*c*) vero monet, numeros, quos exhibuit Esquirol, et nos in Tabula dedimus; Maniacorum, qui in Nosocomio Charenton sanati sunt, minus accuratos esse; numero enim 619 Maniacorum, qui per tres annos fuerant recepti, addendum esse numerum 492, qui initio anni 1826 aderant, quorum plures postea sunt sanati; quibus additis ratio esset, uti  $1111:209=0,19=1:5,3$ ; quam rationem si nostro Nosocomio applicamus, eventus etiam non infausus est. — In nostro enim Nósocomio 1 Jan. 1832 aderant 14 Viri atque 16 Foeminae, scire omnes incurabiles, quos si numero priori addimus, erit ratio sequens, uti  $247:88=0,36=1:2,8$ , quac ratio adhuc superat rationem numeri Sanatorum, quam in ta-

(*a*) Vid. Compte rendu etc. Tab. I.      (*b*) Annales d'Hygiène, l. c. p. 132.      (*c*) G. Ferrus des Aliénés; considerations sur l'état des Maisons etc., Paris 1832 pag: 154, 158.

bula exhibuimus e Nosocomio Charenton 0,34 = 1 : 3,0, in qua Maniae, qui aderant initio anni 1826, non recepti sunt.

In Nosocomio Charité, quod Berolini est, Incurabiles, raro admittebantur (*a*), qui aderant, remittebantur, ita quidem, ut ab anno 1806 ad 1819 non minus quam 742 incurabiles ex hoc Nosocomio remissi fuerint (*b*), qua ratione calculus potissimum de recentioribus casibus valet, unde faustus eventus facile explicandus.

In Italia, testante Fuchs (*c*) plures Maniaci facilius sanari possunt, quum Mania ibi saepè e Pellagra, lepra specie, oriatur, quando raro esset incurabilis, quod num de Aversa valeat, affirmare non possum.

Denique in Bethlem nulli incurabiles recipiuntur, imo vero Maniaci, quorum morbus ultra annum jam continuavit, non admittuntur, qna de causa in Bethlem nulli inveniuntur casus inveterati, neque ab initio incurabiles; porro Maniae, qui per annum in hoc Nosocomio morati sunt, dimituntur (*d*), ut sane mirer, sub his conditionibus numerum Sanatorium non majorem fuisse.

Recidivi pauei tantum fuere in nostro Nosocomio, scilicet intra quinque ultimos annos, 5 tantum de novo eodem morbo affecti fuerunt, ita ut ratio ad illos, qui admissi fuerunt intra hoc tempus, sit nti 5 : 217 = 1 : 43. In Bicêtre et Salpêtrière uti 1 : 15 (*e*); haec vero differentia longe major est, si ratio, nti me judice

(*a*) Horn, Oeffentl. Reheuschaft, p. 209. (*b*) Horn, l. c. p. pag. 299 sqq. (*c*) Friedreich, Magazin, Heft. X. pag. 83. (*d*) Friedreich, Magazin, l. c. pag. 71. (*e*) Compte rendu, Tab. IX. et pag. 10.

debet, instituatur Recidivorum ad Sanatos, quando in nostro Nosocomio fuit uti  $5 : 88 = 1 : 17,6$ ; in Bicêtre vero et Salpêtrière, uti  $739 : 2763 = 1 : 3,7$  (*a*), quod sane ingens est, quum ex singulis fere quatuor Sanatis unus recidivum passus fuerit.

Quod ad mortuos attinet, differentia inter 5 ultimos annos in nostro Nosocomio, atque 30 priores hujus seculi satis magna est, minus quidem propter mortalitatem adeo insignem, sed, quum pauei Sanati egressi fuerint, ratio mortuorum major est, imo Sanatos superat; mortui enim sunt intra illud tempus 52, Sanati 36; 1° Jan. 1800 aderant 21 Maniaci, accessere 30 annis 126, unde ratio mortuorum est ad illos, qui aderant uti  $52 : 147 = 0,35 = 1 : 2,8$ , quinque ultimiis vero annis uti  $43 : 247 = 0,17 = 1 : 5,7$ , quod fere aquat rationem, quae in Bicêtre et Salpêtrière reperitur, ubi in prima serie fuit  $0,18 = 1,5,6$ ; in secunda  $0,16 = 1 : 6,0$ ; in tertia  $0,13 = 1 : 7,5$  (*b*). In Charenton fuit uti  $221 : 1111 = 0,20 = 1 : 5,0$  (*c*). Vide porro plures hae de re eomparationes in Guislain, Traité sur l'alienation mentale, tom. II. p. 212 sqq.

Tandem numerus virorum numerum foeminarum in nostro Nosocomio superat, quod pro parte quidem ex eo explicandum, quod plures milites in nostro Nosocomio recipiuntur; horum vero numerus non tantus est, ut sola hac causa haec sexus differentia possit explicari; virorum enim numerus major est in tribus istis Classibus, quas memoravi majorque etiam fuit 30 prioribus hujus

(*a*) Hic calculus comprehendit quoque 36 Sanatos, qui ex incurabilibus adhuc restituti sunt, quos in Tabula nostra, exclusis incurabilibus, non adnumeravimus! (*b*) Compte rendu Tab. VI. alia vero est proportio in Tab. I., ubi omnes mortui enumerantur, quando ratio est, uti  $5851 : 1246 = 0,21 = 1 : 4,7$ . (*c*) Ann. d'Hygiène publ. l. c. p. 137 sqq.

Seculi annis, licet in pluribus aliis Nosocomiis tum **externis**, tum in illo, quod Amstelodami est, contrarium reperiatur; de qua ratione fuse disputat Esquiroel (a) uti et Fuchs (b).

(15) Licet perquam difficile sit, numerum Maniacorum in nostra patria accurate determinare, quodammodo tamen possumus de illo conjectare ex inquisitione publica auctoritate hac de re instituta, ex qua patuit 1 Jan. 1825 sequentem fuisse Maniacorum numerum atque rationem ad incolas in nostra Patria (c).

Provinciae.	Numerus Maniacorum.	Numerus Incolarum.	Ratio Maniacorum ad numerum Incolarum.
Brabantia Septentrion.	270	324,071	1 : 1200
Gelria . . . . .	177	282,272	1 : 1594
Hollandia Septentrion.	316	391,187	1 : 1238
— Meridionalis .	364	435,167	1 : 1196
Zelandia . . . . .	130	129,715	1 : 998
Provinc. Rheno-trajectin.	113	117,743	1 : 1042
Frisia . . . . .	74	202,687	1 : 2739
Provinc. Transisalana .	179	160,991	1 : 899
— Groningana . .	173	156,093	1 : 902
Drenthia . . . . .	32	53,868	1 : 1683
Summa . . . . .	1828	2,253,794	1 : 1233

(a) Ann. d'Hygiene publ. l. c. p. 107 sqq. (b) Friedreich, Magazin, l. c. pag. 95. (c) Friedr., Magazin, 1830. III heft, pag. 148.

Amstelodami certe ratio Maniacorum non minor est quam 1:1000 incolas, quum vero numerus Maniacorum in urbibus major sit, quam inter agricolas, ratio modo data non magnopere a veritate recedere videtur; Fuchs e comparatione diversorum populorum concludit, generalem rationem Maniacorum ad Incolas reliquos esse uti 1:900 (*b*); cur autem tanta sit differentia inter quasdam Provincias, uti v. c. inter Frisiam et Transisalaniam me nescire fateor, saltem si enumeratio ubique acque exakte instituta fuerit; ipsas hujus enumerationis Tabulas conferendi postea mihi occasio data fuit, atque vidi in Tabulam, quam dedit Friedreich, nullum vitium irreptum esse.

Caeterum quum nostrum Nosocomium non ultra 100 Maniacos capiat, satis appareat, id nequaquam sufficere posse.

(16) Hanc spem atque exspectationem non vanam fore, eo certius me confidere posse arbitratus sum, quum me non lateret, jam diu Regem, humanitate sua commotum, emendationes insignes sortis Maniacorum animo concepisse, verum in iis perficiendis seditione infelici belgica impeditum fuisse; sed paulo post habitam hanc Orationem summo gaudio hanc spem confirmatam vidi, quum mihi a Rego Augustissimo honorificentissime mandatum fuerit, ut rationem modumque, quibus sors Maniacorum infelix in Patria optime possit circumdari, indicarem.

---

(*a*) Friedreich, Magazin, X heft pag. 90.







